






BIBLIOTHÈQUE S.J.
Les Fontaines
60 - CHANTILLY



DE ORIGINE SACRARUM PRECUM ROSARII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

AD SANCTISSIMUM D. NOSTRUM
BENEDICTUM XIII. PONT. MAX.
ORDINIS PRÆDICATORUM

DISSERTATIO

F. THOMÆ VINCENTII MONELIÆ EJUSDEM ORDINIS.





ROMÆ. MDCCXXV.
Typis Hieronymi Mainardi in platea Montis Citatorii.

SUPERIORUM PERMISSU.

BEATISSIMO PATRI

BENEDICTO XIII.

PONTIFICI MAXIMO

Ordinis Prædicatorum.

FRATER THOMAS VINCENTIUS MONELIA
Ejusdem Ordinis.



NCEPS diu hæsi, BEATISSIME PATER, recogitans, accederemne venerabundus ad pedes Tuos, cum hoc quali quali munere, summæ observantiæ in Te meæ monumento. Perculsus enim ac territus Majestatis Tuæ splendore, qui oculorum meorum aciem

perſtringebat, verebar ne jure & merito audaciæ arguerer, videbarque mihi ingens quidem facinus aggredi, ſed nimis audacter, quod ei vires meæ impares forent. Animum deſpondere cœperam, hæc tacitus apud me revolvens, cum recordatio ſingularis illius humanitatis Tuæ, qua omnium animos alliciens, in Tui ſimul admirationem, & amorem trahis, me recreavit, fractaſque fere vires erexit. Ineſt enim in Te ſumma cum Majeſtate conjuncta arctiſſimo fœdere benignitas maxima, animi nativus quidam candor, non adſcitus, & tanta morum ſuavitas, ut ſummum honoris faſtigium nullum de-

dejiciat, quemadmodum ingens illa humanitas Tua auget in nobis obſequium quo in Te ſummam in terris dignitatem ſuſpicimus, & dignitati maximæ parem animum Tuum. At quamvis ſui probe conſcia mens huc illuc impelleretur, noverat tamen, munus quod affert dignum eſſe Sacerdote Maximo, cum eum ritum, eas preces complectatur, quas inter orandum uſurpat Chriſtianus, cui præes, Populus. A Te vero Deum inter & homines conſtituto, maxime exorandus eſt Deus, quod diu noctuque præſtas, ne in ſcelera noſtra pœnis animadvertat. Pergratum futurum SANCTITATI TUÆ hoc munus,

non levis est conjectura: quadoquidem in pauca contraxerim quicquid ad Rosarii Deiparæ Originem pertinebat. Quotus autem quisque est qui nesciat quam impense, ab ineunte ætate, Sanctissimam Dei Parentem Mariam, hoc præsertim eximio ritu, colueris? Quoties de ejus laudibus pro concione verba feceris Beneventi Archiepiscopus, ac in Divini verbi interpretatione & Ecclesiastica Disciplina Episcoporum omnium exemplar? Nonne in solemni Rosarii supplicatione, ingenti voluptate perfusa, Roma Te vidit, (mirata non vulgare pietatis exemplum) peditem, ac religione maxima cum

mi-

minimis Ordinis tui Fratribus incedere. Quod ad me pertinet, dicam plane, pace Tua, Beatissime Pater, quod ſentio. Videre tum mihi viſus ſum aliquid humana ſpecie majus, mentique meæ, gaudio ſimul delibutæ, ac ſtupore perculſæ obverſabatur imago Magni Gregorii Romani pariter Pontificis, qui ut imminentia Urbi mala precibus averteret, in conſimili frequentis populi ſupplicatione *ad Sanctæ*, ajebat, *Genitricis Dei Eccleſiam convenientes, qui ſimul omnes peccavimus, ſimul omnes mala quæ fecimus deploremus*. (a) Idipſum Tu quoque, Sancte Pater

(*a*) Joh. Diac. Vit. S. Greg. l.1. n.41.

preces nobiſcum canendo, magna quadam ſubmiſſione animi religione perfuſi, dicere mihi videbaris, & videbaris cunctis, quos iiſdem percelli motibus oſtendebant lacrymæ, quibus manabant, teſtes gaudii, religionis, pœnitentiæ. Accedit aſſeri in hac Diſſertatione celeberrimarum precationum Originem Sancto Dominico, quo Patre gloriaris Tu quoque, quem Catholici omnes veneramur Patrem Populi Chriſtiani. Quantum vero lætatur Dominicus, magnifice Deo in ejus honorem a Te extructis aris atque ſacellis, dum tantum filium videt dignitate maxima auctum! Præeuntem ſequeris Pa-

trem

trem Tuum: hic enim, & Sanctus Oxomensis Episcopus Didacus, antequam cum Mariæ, & omnis religionis hostibus Albigensibus manus consererent, socios monuerunt, facem exemplo præferentes, *ut ceteris omissis prædicationi ardentius insudarent, & ut possent ora obstruerè malignorum, in humilitate præcedentes, exemplo pii magistri facerent & docerent, irent pedites, sine auro, & argento, per omnia formam Apostolicam imitantes* (a). Quis non miretur in tanto honoris fastigio animum ita demissum, & Tuum illum humanarum rerum contemptum?

Sci-

(*a*) Petrus Cernensis cap. 3.

Scilicet Sacerdotii majeſtatem, non arma, non lictores, non faſtus, ſed una virtus comitatur, Religio nempe, qua ſanctiſſimum munus tuum imples, vere, & ad melioris ævi normam, Paſtor, Doctor, Epiſcopus, & Maximus Eccleſiæ Pontifex; Caritas, qua inopes, ægrotos, omneſque foves, atque complecteris, ac, ut alias ſexcentas prætermittam, ſingularis illa Tua in ampliſſimis dignitatibus animi modeſtia, quæ Dei Sacerdotes tanto majori dignos efficit veneratione, quanto magis ſimiles reddit Jeſu Chriſto ſervatori, omnium principi Sacerdotum. Quæ in hac Diſſertatione pertractantur, non tan-

tum

tum cum ſancti Patris Dominici, cujus mores refers, verum cum ejus, Tuique Ordinis commendatione conjuncta eſſe nemo non videt: Quo etiam nomine plane confido fore ut voluptatem non mediocrem Tibi ſint allatura. Familiam noſtram eodem nunc amore proſequeris, quo tum complexus es, cum eidem auſpicato nomen dediſti, poſtquam vix ex ephebis exceſſeras, cunctis nuncium remittens, ut uni Deo in ea vacares, fauſtiſſima illa die, qua in eam es cooptatus, albo a noſtro Prædicatorum Ordine lapillo ſignanda, ad memoriam Sæculorum ſempiternam. Hæc, Beatissime Pater, me hæſi-

tan-

tantem, impulerunt tandem, ut libellum hunc nomini Tuo inſcriberem; confido enim fore, ut, quando omnis expers eruditionis ad ſcribendum me contuli, conatum ſaltem meum æqui boni conſulas, rem certe, de qua agitur, probes, ac tuearis.

PRÆ-

PRÆFATIO

I. 

Ub finem anni præteriti 1724 de sacrarum precum Rosarii origine brevem quandam lucubrationem exaraveram, ut morem gererem viro summo, cujus maxima semper apud omnes nostros fuit existimatio, nempe Reverendissimo P. M. Angelo Guilelmo Molo Ordinis Prædicatorum Procuratori Generali meritissimo, & non ita pridem Generali quoque Vicario, ac in postremis comitiis Bononiensibus totius Ordinis nostri, hoc ipso anno 1725. Præsidi. Agebatur tunc de tuenda Ordinis traditione, ac gloria, vocata ad examen hac origine S. Dominico adscripta christiani orbis suffragiis, ob novas Lectiones Rosarii pro solemni ejus die, ad præscriptum Romani ritus vulgandas, cumque horis canonicis in ejus die festo recitandas. Rem

non

non parvi momenti judicarunt quotquot in Ecclesiæ ritibus & historia versati sunt, rati magni æstimanda quæcumque ad ejusmodi studia illustranda quoquo modo pertinent. Quid enim religione gravius, & iis quæ ad Dei cultum spectant? Quid utilius solemni illa precationum forma, quam inter orandum usurpat Christianus populus? Quid ea Sodalitate illustrius, in cujus albo describi, Principes, Reges, Summique Pontifices magno sibi ducunt honori? Opellam nostram boni consuluit, pro sua humanitate, vir optimus; ac probarunt in Cænobio Minervæ plures eruditione præstantes, quibuscum ea fuerat communicata. Sed cum typis vulgari nonnulli vellent, & (quod ægre à me, virium mearum probe conscio, impetrarent) hujus identidem me admonerent, non sine modesta expostulatione; statui tandem viris de me optime meritis auscultare. Stimulos addidit eruditissimus Dominicus Georgius Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Imperialis Præfectus. Reverendissimus vero Pater Fr. Thomas Ripoll Ordinis nostri

ſtri Generalis Magiſter, qui Familiæ ſuæ bono ſumma vigilantia conſulit, ac B. Virginem, & S. P. Dominicum, cujus vices apud nos gerit, maximopere colit, eandem typis imprimi voluit. Itaque oportuit revocare cuncta ad incudem & nova rerum acceſſione illuſtrare, quo melius Ordini, & Sancto ejus Inſtitutori conſuleretur, Diſſertatione publici juris facta.

II. *Originum quidem conſideratio perjucunda eſt, & admodum utilis. Purius ex ipſo fonte aquæ bibuntur, & ex prima rerum geneſi eæ penitius cognoſcuntur. Moleſta plerumque ſunt ejuſmodi ſtudia, quique ea ſectantur, primum in evolvendis & perſcrutandis ſæculorum monumentis improbo labore deſudant, at poſtquam voti compotes, quod diu optaverant, aſſequuti ſunt, maxima voluptate perfunduntur: Nemo eſt qui rerum inventores noſſe non plurimi faciat; ſed in hæc ſtudia incumbere paucis arridet; opus eſt enim, labore, & magna animi contentione ſtrenuam navare operam, ad primos auctores detegendos: Longe facilius eſt ex aliorum*

diligentia proficere. Non is ſum ego qui pluris ac par eſt, mea divendere velim; non primus hanc Spartam orno; non juſtæ molis volumina conſcribo. Nihilominus ita de his diſſerere oportuit, ac ſi nemo antea quidquam de ea re cogitaſſet. Hanc methodum, quam ceteris longe antecellere exploratum eſt, hic maxime adhibere neceſſe fuit, quod Auctores de Roſario tractantes, traditioni, vulgatæ ſententiæ, & recentioribus Scriptoribus fere innixi, ad Sæculi XIII. *monumenta diligentius excutienda vix animum adjecerint.*

III. *Haud ſcio an major moleſtia exhibeatur primas rerum origines venantibus, cum nullus occurrit, ad quem jure poſſint referri, an cum plures ſe ſiſtunt, quorum quilibet palmam ceteris præreptam vellet. Teſtantur hoc recentium Phyſicorum, atque Mathematicorum inventa, quorum veri auctores quandoque nos fugiunt, dum de inventionis gloria plurimi certant. At agunt illi de tuenda corporis valetudine, de motuum legibus, de Solis maculis atque vertigine, deque ea Analyſi, qua*

nihil

nihil præstantius humana ratio poterat invenire. Id quidem verum est, sed cunctis ab hominibus excogitatis longe præstat quidquid cum Religione conjunctum est, eaque, utilitate maxima, si minus ingenii acumine, longo post se intervallo relinquit. Non tamen quotiescumque alicui asseritur præclarum quoddam inventum, continuo alii fasces submittent: plures eadem excogitare potuerunt, & ejusdem rei Auctores simul nuncupari. Contra, si qui rerum inventores vulgo dicuntur, non propterea adscribendæ illis è vestigio sunt rerum origines: Etenim sæpenumero recentiores sui juris faciunt quæ ab antiquis tradita, vel ab interitu vindicarunt, vel magis excoluerunt. Nos de initiis domestici ritus differentes, primum, vocamus Rosarium, *uti nunc est, eam precandi formam, omnibus notam, compactam ex centum quinquaginta Angelicis Salutationibus, & quindecim Orationibus Dominicis, secundum decadum series digestis, cum piis meditationibus Incarnati Verbi Mysteria spectantibus. De aliis orandi ritibus, vel, si ita vo-*

care libet, Rosarii generibus à nostro
diversis, primisque eorum auctoribus age-
re nostrum non est. Sufficit notas omni-
bus esse preces illas, de quibus est disse-
rendum. Videntur autem eo nomine
donatæ, quod sertum quoddam exhi-
beant, veluti e variis rosis, flosculisve
eleganter contextum. Hac ratione plu-
rima quæ objici possent, Rosario ali-
ter accepto, statim corrunt, ut contin-
git, cum in quæstionibus quibusvis,
sublatis dubiis, & æquivocis vocibus,
claræ rerum ideæ adhibentur. Tum
extitisse precum Deiparæ rudia quæ-
dam, longeque diversa primordia, prio-
ribus Ecclesiæ sæculis, ultro fatemur; ac
tandem ad Sanctum Dominicum, origi-
nem, de qua est sermo, referimus.
Quod si qui moleste ferent eam sancto
Benedicto inclyto tot illustrium pieta-
te, ac scientia Monachorum parenti,
acceptam hic non referri, incusent illi
primum eruditum orbem, qui idem
sentit. Neque tamen de eo quidquam
loquutus fuissem, nisi ipsimet Benedi-
cti filii, qua sunt humanitate, & in
Prædicatores benevolentia, non tantum

Do-

Dominicum eo honore auctum vellent, verum etiam ad id ostendendum viam sternerent, quod præstitit vir æterna memoria dignus, & clarissimæ Benedictinæ familiæ immortale decus, Johannes Mabillonius, sæpe a me in posterum memorandus.

IV. *Satis Prædicatorum* Ordini, *ejusque optimo parenti consultum videretur, si ritum veterem neglectum ipse restituisset, & cœtus, ac societates, in quibus frequens foret, fundasset. Ea etiam ratione, non injuria dici posset, ab eo profluxisse. Verum, cum ab illo, ut nunc est, prætcrea inventus fuerit, nemo certe potiori jure eum sibi vendicet, contendimus omnino ab ipso initium esse repetendum. Facem utique ei prætulerunt Monachorum vetustissimi, qui uni* Deo *in solitudine vacantes, pias quasdam preces sæpius interdiu, noctuque repetebant, pluribus ad opem memoriæ ferendam excogitatis.* Dominicus *præstantissimum modum selegit, partes, numerum, certum denique ritum constituit, cœtusque id peragentes fundavit.* Hæc *cum Sancti Patris com-*

mendatione conjuncta esse nemo non videt. Plurimum ille Christianam Rempublicam ea ratione juvit, præsertim vero nobilissimas Galliæ civitates, atque provincias, ubi primum hanc excellentiorum precum elegantem, ac facillimam formam à Deipara accepit, & ubi illibata morum integritate, doctrina, scriptis, laboribus, prodigiisque Divina virtute patratis, rem catholicam labantem restituit, & impiæ hæreseos vires compluries prostravit.

V. *Itaque dum sanctum Dominicum Auctorem Rosarii extitisse contendo; una vulgari opinione non nitor. Expendenda hæc fuit ad lancem sanioris critices, cum non raro pro majorum traditionibus alia obtrudantur. Historia, mores, disciplina, hæreses, & monumenta ævi, quo sanctus Pater floruit, consulenda fuerunt. Patuit ex illis omnia sibi constare quæ ad hanc originem pertinent. Ritus noster etiamsi tunc natus non fuisset, potuisset tamen ea tempestate in lucem emergere, immo nunquam alias magis apposite, tan-*

tum

tum abest, ut quidquam in illo cum historiæ fide, & sæculi rebusgestis pugnet. Hypotheses, & Systemata tam affabre concinnari vix possunt, ut sibi omnia constent, si a veritate abhorreant. Mendacia se ipsa produnt, nec semel. Hac de causa petitum ab Ordinis *Dominicani traditione scripta argumentum omnino est maximi roboris, præsertim, cum sententiæ nostræ plurima suppetias ferant, & ea, quæ pro aliis adducuntur, cum nostris nullo pacto sint comparanda. Norunt eruditi quique duplex esse traditionum genus. Aliæ ab aliquot saltem sæculis litterarum monumentis consignatæ sunt; aliæ nullis ejusmodi fundamentis nituntur, sed una accepta a majoribus opinione, vel lege. Hæ quidem quamquam prioribus concedunt, non continuo nutant, nec sunt rejiciendæ, ut nos admonet Clarissimus Ludovicus Thomassinus agens de Mabilloniana Dissertatione* de Pane Eucharistico Azymo, ac Fermentato, *to.* 1. *Oper. Postum. Jo. Mabillonii, & Theoderici Ruinarti illustrium Benedi-*

ctinorum Parif. 1724. pag. 204. ub paratum se testatur ad pugnandum pro Traditione non scripta. Sed longe major habenda est ratio Traditionum prioris generis ad quas revocatur nostra Dominicana, scriptis, & rationibus pluribus munita. Igitur non nuda traditione pugnamas, sed illa, pro qua confirmanda cuncta conspirant. Hinc, neque à negante argumento, à quibusdam objecto, nobis metuimus, neque afferri quidquam videmus quod nos à sententia deterreat. Hac methodo dum utimur, confidimus fore ut plerique probent conatum nostrum, & ipsi fortasse iniquiores critici non improbent. Quid enim reponant? Falsi, an malæ fidei nos postulent? Possidemus optimo jure, Patrisque nostri hereditatem tuemur. Clamant pro nobis bonæ fidei possessoribus jura, clamat Patrum traditio, clamat pæscriptio, æterna populorum lex.

VI. *Multo accuratius plura pertractata fuissent, si nonum in annum a me potuisset premi hæc qualis qualis lucubra-*

bratio. Modo, cum in lucem prodeat, exorandi mihi sunt qui eam perpendent, ut ad rem ipsam potius, quam ad verba, vel alia quævis minoris momenti animum advertant. Occurrent sæpe, (nam & hujus monendi sunt) Auctorum loca, eaque longiuscula; sed illorum neminem pænitebit, cum spectent fere ea tempora, de quibus est sermo; in pauca autem contrahere illorum sæculorum monumenta, religioni habuimus. Ut vero, tum hæc, tum Romanorum Pontificum diplomata, magni ubique, hic præsertim, ponderis, in medium afferre liceret, abstinuimus recentioribus Auctoribus, qui adduci poterant, & valere jussimus obsoletas quasdam in hac quæstione sententias, quibus pauci subscripsere. Consulet qui plura de Rosario nosse voluerit Thomam Malvendam in Annal. O. P. Justinum Miecoviensem in Litan. B. Virginis, Jacobum Percinum in monumentis conventus Tolos. Jacobum Lafon in Præfat. Apolog., Henricum Spondanum, & Abrahamum Bzovium ad An. 1213., aliosque

 sex-

sexcentos, *maxime Illustrissimum Prosperum Lambertinum Archiepiscopum Theodosiensem de sacro hoc ritu optime meritum*. *Nos ad Traditionem nostram omni argumentorum genere confirmandam aggredimur, à Romanorum Pontificum sanctionibus exordium ducentes, easque totidem verbis, ut diximus, exhibentes. Huc spectant quaecumque dicentur; quod si aliquanto diutius in Albigensium haeresi, & Protestantium commentis morabimur, id neque abs re futurum est, nec injucundum illis, ad quos Dissertatio nostra pervenerit*.

VII. *Quonium vero plurima minoris momenti videri nonnullis possent, perpendant haec Magni Basilii Caesar. Cappad. Episc. verba, lib.* de Spiritu Sancto, *cap.* 1. Nam haud oscitanter audire sermonem de rebus divinis differentem, sed conari quid in quaque dictione, quid in quaque syllaba reconditi sensus lateat perscrutari, non est eorum qui segnes sunt ad pietatem, sed qui intelligunt scopum nostrae vocationis. ἀλλὰ γνωριζόντων τὸν σκοπὸν τῆς κλήσεως ἡμῶν. *Subjicit autem ad rem nostram*,

ſtram, nec vero quoniam alicui videbuntur minutæ, ob id videri debent & negligendæ quæſtiones: immo quoniam difficilis eſt inventu veritas, undique nobis eſt veſtiganda. Etenim ſi quemadmodum ceteræ artes, ita & pietatis acquiſitio paulatim minutis acceſſionibus augeſcit, nihil eſt prætermittendum iis qui ad cognitionem inſtituuntur: veluti ſi quis prima elementa, ut res minutas, contemnat, quando ad perfectam perveniet ſapientiam? ὡς εἴ τις τῶν πρώτων στοιχείων ὡς σμικρῶν ὑπερίδοι, ποτὲ τῶν τελείων τῆς σοφίας ἐφάψεται;

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

N. Baccarius Episc. Bojanen. Vicesg.

ADPROBATIO

Illustrissimi & Reverendissimi Domini

D. JUSTI FONTANINI

Archiepiscopi Ancyrani &c.

MAndato mihi facto a Reverendissimo Patre Magistro Sacri Palatii Apostolici, attente legi, & accurate perpendi R. P. Thomæ Vincentii Moneliæ Ordinis Prædicatorum *Dissertationem de Origine sacrarum precum Rosarii Beatæ Mariæ Virginis*; eamque erudite, atque eleganter scriptam, probavi, & luce publica dignam censui.

Ex ædibus palatinis in Quirinali. X. Kal. Octobres, anno MDCCXXV.

Justus Archiepiscopus Ancyranus.

LIT-

L I T T E R Æ

Reverendissimi Patris Magistri Generalis Ordinis Prædicatorum.

NOS FR. THOMAS RIPOLL

Sac. Theologiæ Professor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis, & Servus.

HArum serie, nostrique authoritate Officii, facultatem, quantum in nobis est, concedimus tibi R. P. Fr. Thomæ Vincentio Moniglia Ordinis nostri, ut possis typis mandare Opus, cui titulus *Dissertatio de Origine Rosarii*, a te compositum, ac de mandato nostro revisum, & approbatum a duobus in sacra Theologia Magistris ejusdem Ordinis nostri, servatis alias de jure servandis. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu nostro sanctæ Mariæ super Minervam. Die 1. Octobris. 1725.

Fr. Thomas Ripoll
Magister Ordinis.

Reg. fol.4.



Fr. Dominicus Ponsi, Magister, Exprovincialis, & Socius.

AD-

ADPROBATIO
DOCTORUM ORDINIS.

JUbente Reverendissimo Patre Thoma Ripoll Ordinis Prædicatorum Magistro Generali, eruditam ac elegantem *Dissertationem de Origine Rosarii Genitricis Dei Mariæ*, a R. P. Thoma Vincentio Moniglia sacræ Theologiæ professore Ordinis FF. Prædicatorum elucubratam, data opera, perlustravi. Quo quidem in Opusculo, insuper habitis nonnullis morosis, & hypercriticis Censoribus, S. Dominico instituti Prædicatorum parenti acceptam refert Rosarii, ut nunc est, institutionem, quod quinquaginta supra centum salutationes Angelicas, cum quindecim Orationibus Dominicis complectitur, adjunctâ quindecim præcipuorum humanæ Redemptionis Mysteriorum pia meditatione: Asserit, inquam, omnique argumentorum genere demonstrat, disertis scilicet scriptorum probatissimæ fidei testimoniis, avita, perpetuaque traditione, quæ a tempore S. Dominici, ad nostram usque ætatem in Ordine Prædicatorum jugiter fuit conservata; variis diplomatibus Romanorum Pontificum, præsertim Leonis X. Pii V. & Sixti V. qui luculenter profitentur S. Dominicum esse Auctorem Rosarii. Unde hanc *De Origine Rosarii Dissertationem* laude, & publica luce dignissimam censeo; cum nihil in ea, nec a recta fide, nec a bonis moribus alienum sit, sed totum variæ, reconditæque eruditionis plenum, multamque

que

que præferat verborum elegantiam, & rerum copiam. Datum Romæ IV. Non. Octob. anno 1725. in Conventu sanctæ Mariæ super Minervam.

Fr. Antonius Bardon Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & Cathedraticus Casanatensis, Ordinis Fr. Prædicatorum.

TAmetsi non is ego sum, qui Critices disciplinam elato supercilio despicari velim, quin potiùs suam ei laudem tam libenter impertiar, quàm qui libentissimè; hoc tamen ausim affirmare, me semper abhorruisse à studio quorumdam pseudo-criticorum, qui pruriginosa de omnibus præpostere dubitandi libidine flagrant, & receptas Traditiones, atque opiniones, quæ fidelium pietatem alere possunt, infelicibus conjecturis abolere, & evellere pro viribus moliuntur. Invaluit jam pridem in clarissimo Prædicatorum Ordine perpetua, sibique semper constans opinio, & Summorum Pontificum diplomatibus confirmata, Scriptorum probatæ fidei locupletissimis testimoniis comprobata, multisque argumentis roborata Traditio, quæ Rosarii institutionem acceptam refert sancto Dominico, hujus Sanctissimi Ordinis Fundatori. Hanc tamen opinionem, tam altis defixam radicibus, hanc pervetustam Traditionem, quæ hactenus in sacro illo Ordine sarta tecta servata est, nonnulli hacce tempestate ad novam crisim revocare tentarunt; in quos subinde calamum jure optimo acuit, eosque refellendi demandatam sibi provinciam ultrò suscepit R. P. Fr. Thomas Vincentius Moniglia Ordinis Prædicatorum, vir sane pereruditus, & auctor istius elegantis *Dissertationis,*

nis, cujus examen Reverendissimus Pater Thomas Ripoll, Totius Ordinis Prædicatorum Generalis Magister, censuræ meæ concredidit, & in qua nihil omnino offendi, quod Fidei & bonis moribus adversetur, nihil etiam, quod supercilioſi Critici ac morosi censores ungue signare, aut censura aliqua notare possint. Quocirca, hanc *Dissertationem*, in qua laudatus Auctor huic Controversiæ (si qua adhuc sit) de vero Rosarii Institutore, ultimam diem imposuisse, & omnes offusas ei antehàc tenebras, admota veritatis luce plenissime dissipasse mihi videtur, dignam esse judico, quæ publica luce donetur, utpotè quæ Fidelibus haud mediocrem utilitatem, & Auctori suo magnam laudis segetem sit allatura.

Datum Romæ in Conventu Minervitano Ordinis FF. Præd. Die IV. Mensis Octobris anni MDCCXXV.

Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson Sacræ Facultatis Parisiensis Doctor, & Collegii Casanatensis Theologus, Ord. FF. Prædicatorum.

IMPRIMATUR,

Fr. Gregorius Selleri Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magist.

IN-

INDEX

CAPITUM.

CA-

DIS-

DISSERTATIONIS DE ORIGINE ROSARII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

CAPUT I.

Romani Pontifices Sanctum Dominicum Rosarii auctorem agnoscunt.

I. 

LURES Summi Pontifices Apostolicis diplomatibus, quibus Rosarium Marianum & illius sodalitatem commendant, & Ecclesiæ thesauris ditant, sanctum Dominicum ejus institutorem agnoscunt, & summis laudibus ob hujusmodi inventum precandi ritum, prosequuntur. Leo X. Pont. Max. Const. *Pastoris æterni*, edita Romæ A.D. 1520. prid. Non. Octobr. *sane*, inquit §. 1. *pro parte dilectorum filio-* CAP. I.

Constitut. XLVI. Leo. X. in magno Bull. Rom. edit. Lugdun. A. 1692. to. 1. p. 614. Dat. Pont. An. VIII.

 rum

CAP. I. *rum Prioris, & Fratrum domus Prædicatorum Coloniensium, nuper exhibita petitio continebat, quod olim, prout in historiis legitur, à S. Dominico quædam Confraternitas utriusque sexus fidelium de Rosario ejusdem B. Mariæ Virginis nuncupata, ad honorem Angelicæ Salutationis instituta, & in diversis mundi partibus prædicata fuit, sequentibus signis. Sed cum ipsa Fraternitas, decursu temporis, fere neglecta fuisset, & in oblivionem transisset, ac Anno* 1475. *Civitas & Diœcesis Coloniensis gravibus bellis premeretur, eadem Confraternitas ad laudem & honorem præfatæ Virginis, ut Civitas & Diœcesis prædicta, meritis & intercessionibus ejusdem Virginis, ab eis bellis liberaretur, in ecclesia dictæ domus innovata, & de novo instituta fuit, cum certo modo orandi, videlicet quod Confratres, & sorores ejusdem Confraternitatis, tribus diebus cujuslibet hebdomadæ, ad honorem Dei, & præfatæ Virginis, ac contra imminentia mundi pericula, legerent, conjun-*

junctim, vel divisim, toties Angelicam Salutationem, quot sunt psalmi in psalterio Davidico, singulis decem Salutationibus hujusmodi Orationem Dominicam semel præponendo; & modum orandi hujusmodi, psalterium, sive Rosarium ejusdem B. Virginis vulgariter appellatum. Subsequentibus verbis adducit Constitutiones aliorum Pontificum, & decreta Legatorum Sedis Apostolicæ pro Rosario, cuncta approbans precibus Johannis Ducis Juliacensis, & Montensis, & Mariæ conjugis, ac Sibyllæ Brandeburgensis Marchionis, ejusdem Mariæ genitricis. Itaque Leo X. sancto Dominico acceptum refert Rosarium, idque historiarum monumentis niti testatur, ut patet consulenti Constitutiones hujusmodi, quas idcirco in medium adducimus.

II. Sanctus Pius V. Constitutione, *Consueverunt Romani Pontifices*, edita pariter Romæ die 17. Septembr. A. 1569. idem profitetur §. 1. his verbis: *quorum exemplo adductus, &*

Constitut. S. Pii V. in M. Bullar. Rom. edit. Lugdun. t. 2. p. 285. Edita est Anno IV. Pontificat.

CAP. I. *Spiritu ſancto, ut pie creditur, afflatus Beatus Dominicus (cujus inſtitutum & regulam, cum in minoribus eſſemus, expreſſe profeſſi ſumus) ſimili, qua nunc temporis, occaſione, quo Albigenſium hæreſi partes Galliarum & Italiæ miſere vexabantur, & tam multos excæcaverunt ſæculares, ut in Domini Sacerdotes & Clericos ſæviſſime furerent, levans in cælum oculos, & montem illum glorioſæ Virginis Mariæ almæ Dei genetricis, quæ germine ſuo tortuoſi Serpentis caput obtrivit, & cunctas hæreſes ſola interemit, ac benedicto fructu ejus ventris, mundum primi parentis lapſu damnatum ſalvavit, & de quo, ſine humanis manibus, abſciſſus eſt lapis ille, qui ligno percuſſus, gratiarum aquas affluenter produxit, reſpiciens modum facilem, & omnibus pervium, ac admodum pium orandi, & precandi Deum, Roſarium, ſeu Pſalterium ejuſdem B. Mariæ Virginis nuncupatum, quo eadem Beatiſſima Virgo, Salutatione Angelica centies & quinquagies, ad nume-*

me-

merum Davidici Psalterii repetita, & Oratione Dominica ad quamlibet decimam, cum certis meditationibus, totam ejusdem Domini Nostri Jesu Christi vitam demonstrantibus, interposita, veneratur, excogitavit, excogitatum per S. R. E. Patres propagavit, orandique modo prædicto, asseclas, B. Dominici fratres, videlicet Ordinis prædicti, divulgato, & à nonnullis accepto, cœperunt Christifideles iis meditationibus accensi, iis precibus inflammati, in alios repente mutari, hæresum tenebræ remitti, & lux Catholicæ fidei aperiri; & ad hanc orandi formam, pro locorum diversitate, sodalitates per Fratres ejusdem Ordinis ad hoc à suis Superioribus legitime deputatos institui, & confratres in eis describi: Quid clarius adduci poterat non tam pro Rosarii origine, quam pro ejus commendatione à Sanctissimo Pontifice? Hæc altius menti infigenda sunt, cum paucis præstantissimas psalterii dotes complectantur.

 III. Con-

CAP. I.

Constit. XI. Greg. XIII. in Magn. Bullar. Rom. edit. Lugd. t. 2. pag. 372. edita est Romæ 1. April. Pontif. A. I.

III. Concinit Pio Gregorius XIII. Constitutione, *monet Apostolus*, An. 1573. instituens prima die Dominica Octobris festum Rosarii ob insignem victoriam à Christiana classe de Turcis reportatam. Ita de Rosarii auctore loquitur §. 2. *memores B. Dominicum Ordinis Prædicatorum institutorem, cum & Gallia & Italia à perniciosis premeretur hæresibus, ad iram Dei placandam, & Beatissimæ Virginis intercessionem implorandam, piissimum illum orandi modum instituisse, quod Rosarium, seu psalterium Beatissimæ Virginis Mariæ nuncupatur &c.* In litteris autem, quarum initium, *dudum si quidem pro parte dilectorum filiorum Johannis Antonii Tramontani* An. 1575. sententiam ferens pro FF. Ordinis Prædicatorum Scalensibus in Regno Neapolitano, decernit ad eorum ædem transferendam esse societatem Rosarii, utpote quæ spectet ad jus Dominicani instituti, cum à D. Dominico ejus origo sit repetenda: *callide tacuerunt*, queritur de

Bullar. Confrater Ord. Præd. edit. Rom. An. 1668. pag. 100.

de Prædicatorum adverſariis, *quod modus orandi in dictis literis noſtris expreſſus, Roſarium Beatæ Mariæ Virginis nuncupatus, tanquam à D. Dominico dicti Ordinis Fundatore inventus exiſtebat, & erat peculiaris ipſius Ordinis, & ubi aliqua domus ejuſdem Ordinis reperiebatur, in eiſdem dumtaxat conſtitui ſolebat, & quatenus per prius in alio loco conſtitutus reperiebatur, ſtatim, domo dicti Ordinis in eodem loco erecta, ad eandem domum, & illius eccleſiam ipſo jure, & de facto cenſeretur translatus.*

IV. Idipſum teſtatur quoque Sixtus V. Conſtitutione, *Dum ineffabilia meritorum*, A. 1586. *Attendentes itaque* ait §. 1., *quam Religioni noſtræ fructuoſum fuerit Sanctiſſimi pſaltcrii, Roſarii nuncupati, glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ almæ Dei genitricis inſtitutum, per B. Dominicum Ordinis Fratrum Prædicatorum auctorem, Spiritu ſancto, ut creditur, afflatum, excogitatum, quantaque ex inde mundo provenerint, & in dies* Conſt. XXI. Sixti V. in Bull. Rom. t. 2. p. 520. edita eſt Romæ 30. Ian. An. I. Pont.

CAP. I.

proveniant bona &c. Auctarii loco adjiciam in Rosarii commendationem quæ sequuntur §. 2. *Earumque confratres, ac sorores à quamplurimis, & præsertim fel. rec. Urbano IV., & Johanne XXII., a Sixto etiam IV., nec non Innocentio VIII., & Alexandro VI., & Clemente VII., & Paulo III., ac Julio etiam III., ac Paulo IV., Pio etiam IV., ac Pio V., & postmodum Gregorio XIII. Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac nonnullis Sedis Apostolicæ, cum potestate Legati de Latere, Nunciis, nedum confirmationem, & augmentum, earundem Confraternitatum, sed etiam Indulgentias, ac privilegia, & indulta merito obtinere meruerint &c.* Animadvertendum est, Urbanum IV. A. 1261. creatum fuisse Pontificem, & Johannem vulgo dictum XXII., An. 1316. quo pateat asserta à Romanis Pontificibus hujus ritus vetustas.

Literæ Clemen. VIII. editæ Romæ Ex Typogr. C. Ap. An. D. 1602. & 1724.

V. Non tantum originem, de qua agimus, à Dominico repetit Clemens VIII., verum illius epocham illigat

A.D.

A. D. 1216. quo Romæ ſaltem à ſanctiſſimo viro pro concione primum commendatus fuit ejuſmodi precationum ritus. Ita in litteris Apoſtolicis, quarum initium, *Ordo Prædicatorum*, Dat. Rom. A. 1601. Pontificatus anno 10. de Eccleſia Sancti Sixti in Urbe, via Ardeatina, loquitur: *prima Eccleſia eſt, quæ S. Dominico in Urbe conceſſa fuit, ubi ſuum ipſe Ordinem inſtituit. Deinde in Eccleſia ejuſdem monaſterii, Sanctus Dominicus B. Virginis Roſarium inſtituit, & promulgavit A. D. 1216.*

VI. Alexander VII. in Brevi, *cum ſicut*, Dat. Romæ A. D. 1663. die 2. Maii Pontif. A. IX. Chriſtifidelium pietatem in D. Dominicum laudans, ait: *cum ſicut nos alias accepimus in diverſis orbis Chriſtiani partibus, pia erga S. Dominicum Ordinis Fratrum Prædicatorum Fundatorem, & Roſarii B. Virginis Mariæ Auctorem, devotio inducta fuiſſet, prout idipſum de præſenti etiam viget &c.* Non minus Roſarii, quam Ordinis Prædicatorum au-

In Bullar. Confrat. O. P. Rom. ex Typograph. R. Cam. Ap. Ann. 1668. pag. 139.


CAP. I.

auctorem vocat Dominicum, quasi utrumque eadem ratione exploratum foret. At cum in confesso sit apud omnes, eum Ordinis sui fundamenta jecisse; certum quoque est ex Alexandri mente, hujus ritus sanctum Patriarcham auctorem extitisse. Ejus vestigiis insistit Innocentius XI. in similibus literis die 7. Febr. A. 1683., atque eadem prorsus verba usurpat; quod pariter præstat Clemens XI. A. 1704. die 25. Januar. Pontif. A. IV. Tandem Benedictus XIII. Romanus Pontifex, qui Catholicæ Ecclesiæ feliciter clavum moderatur, ut paternam, summaque in Ordinem suum benevolentiam, omnibus ceteroqui perspectam, magis magisque ostenderet, hoc Jubilei Anno 1725. die 26. mensis Martii, probavit sacræ Rituum Congregationis sententiam, latam pro Lectionibus Rosarii secundum Romanum ritum, in quibus sanctus Dominicus harum precationum Auctor agnoscitur, mensis ejusdem die 10. ad preces Eminentissimi Cardinalis Augustini

Breve Innocen. XI. apud Percin. O. P. in Mon. Co. Tolosani. edit. Tolos. An. 1693. de Rosar. p. I. c. I.

Autograph. Brev. Clemen. XI. extat apud Sacristam S. Mar. supra Minervam.

ni Pipia, Ordinis nostri tum Generalis Magistri meritissimi, quem honoris gratia nomino.



CA-

CAPUT II.

Rosarii Mariani origo & epocha constituenda non est ante Sancti Dominici ævum.

CAP. II. I. 
SI ante Sanctum Dominicum, & sæculum XIII. institutus fuisset Deiparæ precum ritus ad Psalmorum Davidis numerum ordinatus, maxime id contigisset ævo, vel Sancti Benedicti Occidentalium Monachorum principis, vel Venerabilis Bédæ, vel Concilii Celichytensis in Anglia, vel Petri Ambianensis eremitæ, de quibus infra erit sermo. Nulla tamen hujusmodi institutio solidis nititur fundamentis; quapropter dicendus non est fuisse inventus ante Sanctum Dominicum.

II. In-

II. Inter veteres ſcriptores, qui diſertim de Roſario loquuti videntur, principem ſibi vindicat locum Sancti Thomæ Aquinatis æqualis & condiſcipulus Thomas Cantipratanus Ord. Præd. qui A. D. 1250. florebat, ac eodem fere tempore opera quædam conſcripſit, quorum utilitatem, ac fidem commendat Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Hic propius ad Roſarium noſtrum acceſſit, cujus ritus ſacer comprehendit 150. Angelicas ſalutationes, & 15. Orationes Dominicas, nec non Chriſtianæ Religionis Myſteriorum præcipuam mentionem, ut patet ex Pontificum Conſtitutionibus: quæ omnia in *tribus quinquagenis*, a Cantipratano memoratis ineſſe facile poterant: immo triplicem Myſteriorum ſeriem, *triplex* ejuſmodi *quinquagena* quodammodo præ ſe ferre videtur. Ait ſiquidem Cantipratanus in l. 2. de Apibus c. 29. n. 6. *Juvenem fuiſſe prope noſtra tempora in Germaniæ partibus certa relatione didicimus, quem quidam miles patruus ejus non modice miſeratus, die quadam ob-*

CAP. II.

CAP. II.

obvium alloquitur dicens. Volo ergo ut gloriosam Dei genitricem Mariam salutes quinquaginta vicibus omni die. Adolescens quotidianis his precibus ad meliorem frugem redactus est. Interea *triplicem quinquagenam*, patruo hortante, persolvere cœpit. Sed cum uxorem duceret, ipsa nuptiarum die recordatus est, se non adhuc ex more Virginem Mariam salutasse: *repente surgens susurrat patruo ut paululum induciet fercula ministranda: quo annuente, solus juvenis intrat thalamum, solvit Matri Christi quod voverat tanto devotius, quanto se clementius probaverat exauditum. Nec mora, ubi extremam salutationem trinæ quinquagenæ jam complevit, apparuit ei gloriosa Virgo lucidior super solem, tres thecas in tunica sua juveni, unam anteriorem, & duas laterales ostendens; ecce, inquit, Salutationes tuæ literis aureis scriptæ, quibus me in tribus quinquagenis sedulus honorasti.* Felicissimus adolescens, vix tertia die elapsa ad cœlestes nuptias fuit evocatus. Cum id, quod narratur, contigerit *prope tempora* Scripto-

Inducio ab induciis, retardare, remorari, Italice *indugiare*.

ptoris, & hic precandi modus patruo militi notus esset, patet, sub initium sæculi XIII. adhibitas fuisse has preces, Deiparæ maximopere gratas, & fidelibus utilissimas. Idem auctor ibidem iterum de precibus Mariæ verba facit: *quid iterum*, ait, *de triplici quinquagena in Salutatione versus Angelici Ave Maria, anno ab Incarnatione Domini* 1251. *contigerit, referamus. Vidi & cognovi juvenem in Brabantiæ partibus generosum, qui, quamvis esset totaliter sæculo deditus, Beatæ tamen Virgini Mariæ devotus, quotidie tres dictas quinquagenas in salutationibus exolvebat.* Spectant hæc omnia, ut constat, idem sæculum XIII.

III. Initio ejusdem sæculi XIII., immo ad finem vergente duodecimo, meminerunt auctores nonnulli *quinquagenæ* Angelicarum precationum. Consulatur Cæsarius Heisterbacensis Cisterciensis monachus dist.7. c.48. qui eandem à matrona, á monacho, & ab alio quodam usurpatam narrat, & Stephanus de Borbone O. P. apud nostrum Jacobum Echardum tom.1. Biblioth. O. P. p.189.

Bibliotheca Cistercien. Bertrandi Tissier to.2. Vixit Cæsarius sub Honorio III. R. Pont. ut habetur ex c. 21. dist. 5.

CAP. II.

Stephanus de Borbone Ord. Præd. obiit circa An. 1260.

pag. 189. quemdam afferens, *qui singulis diebus quinquagies flexis genibus B. Virginem salutabat, quod audivit ab ejus filio monacho Cluniacensi, dicto Stephano de Marusiaco, qui non est defunctus.* Sed Oratio Dominica nullum adhuc locum in illis precibus sibi vindicabat. Id certum est ex Cæsario, Cantipratano, Stephano, aliisque pluribus, tunc Salutationem Angelicam frequens in ecclesia adhibitam fuisse. Mentio Angelicæ Salutationis post Symbolum & Orationem Dominicam occurrit exeunte sæculo XII. in Statutis Odonis Parisiensis num. 10. his verbis: *exhortentur populum semper presbyteri ad dicendam Orationem Dominicam, & credo in Deum, & Salutationem beatæ Virginis.* Eadem totidem verbis præscribuntur sæculo XIII. in *præceptis Johannis de Cropejo* Vicarii Guilelmi de Favacuria Archiepiscopi Rotomagensis, & alibi passim. Non tamen adhuc mos ille obtinebat admiscendi aliquot Dominicas Orationes Angelicis. Nam quod de Ida Cisterciensi refert Angelus Manriquius in An-

Mabillon. Præfat. in Sæcul. 5. n. 121.

Concilia Provinciæ Rotomag. Guilel. Bessin edit. Rotomagi anno 1717. par. 2. p. 84.

Annal. Ciſtercien. tom.4. An. 1226. c.4. num.8. huc non ſpectat. Ida ſiquidem *ſingulis diebus undecies centenis genuflexionibus terram tetigit, toties repetitis orationibus, aut decantatis eodem numero Beatæ Matris & Virginis Mariæ Salutationibus*. Non ſimul utramque orationem fundebat, ſed quandoque ſolas Dominicas preces, vel alias, quandoque Salutationes Angelicas tantum. Ida Dominici fere ævo vixit.

IV. Jacobus de Vitriaco, qui eodem tempore floruit, in actis S. Mariæ Oegniacenſis, ut etiam refert Vincentius Bellovacenſis O. P. ejuſdem ſæculi Scriptor, in Spec. Hiſtor. l.30. c.24. de Maria narrat, quod *totum pſalterium ſuper pedes ſtando legens, per ſingulos pſalmos, flexis genibus, B. Virgini Salutationem Angelicam offerebat*. Obiit illa An. 1213. ſextum ſupra triceſimum annum nata. At (quamvis Dominici æqualis fuerit) una Angelica Salutatio ſæpius repetita, non quindecim Dominicis Orationibus intermixta, ſed centum quinquaginta pſalmis, Roſarium non conſtituit.

Apud. Surium Junii 23. tomo 3. p.853.

CAP. II.

Surius in Vitis Sanctor. to. 2.

V. Idem de Aiberto Monacho sentiendum, qui vixit labente Sæculo XI., & XII. ineunte. Ille quidem *centies per diem flectebat genua, & quinquagies prostrato quidem corpore, sed articulis & digitis sublevato, ad unamquamque genuum curvationem dicebat salutationem Angelicam*. Ita ejus acta apud Laurentium Surium, die 7. Aprilis. Sed nullus tunc videtur locus relictus Dominicis Orationibus, ut de Mysteriis vitæ Jesu Christi sileam. Has difficultates, non inficior, objici posse Cantipratensis precibus, ut ut de Rosario ceteris facilius explicari possit. Verum si constaret, ne Cantipratensem quidem de eo fuisse loquutum, magis magisque evinceretur epocham & originem illius ante sæculum XIII. non esse constituendam. Si Cantipratensis de Rosario ne verbum quidem habet, id sententiæ nostræ non officit, nec ullam nobis molestiam exhibet; si vero in *tribus* illis *quinquagenis*, & *tribus thecis* Rosarium præ oculis habuit, hoc monumentum erit inter antiquiora quæ pro his Angelicis precibus, a psal-

a psalmis Davidicis, quorum numero CL. respondere noscuntur, *Psalterii*, nomen interdum sortitis, laudari possint. Nam lapillis, vel ligneis globulis, vel alia quavis arte, ad memoriæ subsidium, preces quaslibet ad numerum effundere, prætermissis vel Angelicis Salutationibus, vel Orationibus Dominicis, vel Mysteriorum meditationibus, vel alio ritu, ac numero adhibitis, toto cælo distat ab eo orandi genere, de quo est sermo in præsentia. Veteres eremi incolæ preces ad numerum repetentes, ne aberrarent, *calculis* utebantur, ut plures memoriæ prodiderunt, maxime Palladius. Immo *calculis*, vel *globulis* invicem colligatis, iisque fere centum, non tantum Christiani, sed Turcæ quoque orant, Dei nomina, quæ excellentiora putant, veneraturi, pro certo habentes fore, ut Cœlum hac illis ratione pateat: nec absimile est quod de Japonum precatoriis coronis scribit Horatius Tursellinus in Vita S. Francisci Xaverii l. 3. c.7. Hæc cum ita se habeant, miramur quibusdam in mentem

Cap. II.

Histor. eremitica Heriberti Rosueydi l.8.c. 23.

Barth. Herbelot Biblioth. Orient. v. *Esma* sive Nomina.

CAP. II.

venisse nostri Rosarii originem referre ad ea Sæcula, in quibus ne minimum quidem ejus vestigium apparet.

VI. Quod attinet ad Sæculum VI. & ad Sanctum Benedictum, Johannes Mabillonius inter ejus Monachos, immo inter eruditos quosque viros, veterum monumentorum, & Ecclesiasticæ Antiquitatis peritissimus, Præfatione in Sæculum V. Ordinis S. Benedicti, & Benedicto, & Bedæ hanc inventionem abjudicat. *Si salutationis Angelicæ usus* (inquit num. 125.) *nondum invaluerat, ut superius ostendimus, ævo S. Benedicti, neque Bedæ, frustra ejus institutio ad illa tempora revocatur.* Luculentissime ostenderat num. 119. Salutationem Angelicam non fuisse in vulgari, ac frequenti fidelium usu decem prioribus Ecclesiæ Sæculis, quanquam Deiparam semper coluerit Ecclesia; attuleratque ad id ob oculos ponendum magni roboris argumenta deprompta ex auctoritate Eligii in homiliis ad populum, ab Audoëno relatis, Bedæ in Epistola ad Egbertum à Waræo edita, Ahitonis, seu Atto-

Collect. Præfat. & Differt. Mabillon. edit. Trident. A. 1724. p. 452.

Attonis Basileësis Episcopi, Theodulfi, atque Walteri Aurelianensium præsulum in suis Capitularibus, Leonis Papæ IV. in sermone, & Ratherii Veronensis Episcopi in sua Synodica. Ita enim populum & populi pastores commonefaciunt, *Symbolum & Orationem Dominicam cum fide & devotione dicite. Attendite ut parochianis vestris Symbolum Apostolorum, & Orationem Dominicam insinuetis*. Huc accedit, in antiquioribus libris Sacramentorum idem fere usuvenire. In *Codice* edito a venerabili Cardinali Josepho Maria Thomasio, viro pietate, & doctrina præstantissimo, nonnisi Symbolum, & Oratio Dominica explananatur in scrutinio pro Catechumenis, ut vetus quoque Missale Gallicanum confirmat. Neque hic, neque alibi, neque apud Historicos, neque in Conciliis, neque in Regularum Monasticarum Codicibus, vulgati & frequentis usus illarum precum, de quibus jam nobis est quæstio, uspiam apparet vestigium. Idcirco noster doctissimus Ignatius Hyacinthus Grave-

CAP. II.

Edit. Romæ A. 1680. p. 54. 58. 445. & 452.

CAP. II. sonius Parisiensis Doctor, & Theologus Casanatensis in Histor. Ecclesiast. Sæculorum XIII., & XIV. Mabillonii sententiam suo calculo adprobat.

Tom. 3. S. Greg. Magn. edit. Parisiensis Ann. 1705. p. 657. in Offertor.

VII. Ne quis vero, Mabillonium in jus vocet, quasi Deiparæ iniquior fuerit, dum vulgarem, ac frequentiorem usum Salutationis Angelicæ sequiori ævo consignat, observandum est, ad vindicandam illius vetustatem adduci ab ipso Magnum Gregorium Romanum Pontificem, in cujus Antiphonario legitur Dominica IV. Adventus. Apposite ibi in Præfatione notatur, Magnum Gregorium, tum hujus Libri, tum libri Sacramentorum collectorem potius atque recognitorem, quam primum auctorem fuisse, ut optime desumitur ex verbis Johannis Diaconi l. 2. Vit. sancti Gregorii, cap. 6. *Antiphonarium centonem compilavit*, eo quod plurium, & antiquiorum foetus esset id operis.

VIII. Et quoniam huc ventum est, ut Angelica Salutatio tam in Rosario frequens magis illustretur, ac prima ve-

veluti hujusce ritus rudimenta detegamus, non abs re erit in veteris ecclesiæ usu Mariam persæpe salutandi, tantisper immorari, quamvis id à Patribus pro concione populum alloquentibus, & verbis parum immutatis, ac diversis factum sit. Deiparam quidem maximis ubique laudibus antiquitas venerata est, at postquam Sæculo quinto Nestorius, & octavo Iconomachi in eam furere cœperunt, multo magis floruit ejus cultus, damnatis Mariæ hostibus à Patribus, Concilio Ephesino, aliisque, Deoque in honorem tantæ Virginis ubique extructis magnificis aris, ac templis, hymnis præterea, ac precibus plurimis in ejus commendationem compositis. Sanctus Cyrillus Alexandrinus, homilia Ephesi habita contra Nestorium in D. Mariæ Virginis æde, *salve*, ait, *itaque à nobis Sancta mystica Trinitas, quæ nos omnes in hanc Mariæ Deiparæ Ecclesiam convocasti. Salve à nobis Deipara Maria venerandus totius orbis thesaurus, lampas inextin-*

CAP. II.

In Act. Concil. Oecum. Ephes. Act. 1. to. 3. Collect. Concil. Labbei p. 583

 gui-

CAP. II. *guibilis, corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum indissolubile, locus ejus qui loco capi non potest, Mater & Virgo &c. Salve &c.* Postquam autem sexcentis id genus vocibus eam extulit, subdit, *ecquis hominum laudabilissimam Mariam pro dignitate celebrare queat?* Hæc non intra privatos parietes, domesticumve sacellum, sed in insigni tota Asia æde sacra, coram Ephesinæ Synodi Patribus Anno 431., cunctis plaudentibus, de Maria dicebantur. At quodnam illustrius monumentum afferri potest Sermone sancti Johannis Damasceni in Annunciationem, Johannis illius, cujus *æterna memoria*, ut habet Synodus VII. Oecumenica, Act. 7. *Hodie Gabriel*, inquit, *festivissimæ hujus celebritatis chororum princeps, reginæ sursum acclamet, & dicat, Ave Gratia plena Dominus tecum. Hodie nos etiam qui luteæ linguæ sumus clamemus, & gloriosissimæ ac luciferæ Dei, Salvatorisque nostri Jesu Christi Matri verba quædam gratiosa dicamus, vocibus istis ju-*

To. 2. Oper: S. Johann. Damasc. edition. P. Lequienii O.P. Paris. Ann. 1712. p. 835.

jucunde gratulantes, Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Repetit deinde sæpissime, *Ave*, & *Ave gratia plena*, adjectis semper magnis, variisque Mariæ laudibus; & tandem his orationi finem imponit, *Ave, Ave quæ vere es super omnes benedicta; Ave propter quam nos hodie captivi laudatores quadruplicem hanc salutatoriarum compellationum pentacontadem contexuimus. Ceterum, optima Domina, misericordiam extendas tuam in eos qui te noverunt, ac respice in servos tuos*. Quadruplicem hanc Damasceni *pentacontadem*, seu *quinquagenam* vindicare à plurimis Heterodoxorum injuriis, atque dicteriis ritum nostrum constat, qua propter non abs re erit ipsamet Græca sancti viri verba hic exhibere. CAP. II.

χαῖρε ὄντως ὑπερευλογημένη, χαῖρε δι' ἣν ἡμεῖς σήμερον οἱ αἰχμάλωτοι ἐπαινέται ταύτην ἐξυφάναμεν τὴν τετραπλῆν τῶν χαιροποιῶν προσρρήσεων πεντακοντάδα. ἀλλὰ παράτεινον τὸ ἔλεός σου πανάγαθε δέσποινα τοῖς γινώσκουσί σε, καὶ ἴδε ἐπὶ τοὺς δούλους σου.

Idem

CAP. I. Idem Damascenus Sermone II. in Deiparæ natalem diem, edito Græce primum à cl. Michaele Lequienio O. P. sæpissime usurpat *Ave*, à quo sibi temperare non posse videtur. An non in *quinquagenis* illis exordia quædam apparent precationum earum, quas posterioribus sæculis Mariæ cultores amplexi sunt? Sub idem tempus, hoc est initio Sæculi VIII. S. Andreas Cretensis Archiepiscopus eadem ratione B. Virginem compellat, Oratione IV. breviore in Annunciat. *Consonis Gabrieli vocibus ad Virginem clamemus Ave gratia plena, Dominus tecum, ex qua salus Christus Deus noster assumtam naturam hominum ad se revocavit. Obsecra ut salutem consequamur animarum nostrarum*; quæ quidem Angelica Salutatio, ut illa Damasceni paulo ante allata, vix abludit à nostra; re certe consentit, si minus postremis verbis. In quinta Oratione in idem argumentum plusquam vicies repetit illud Angeli *Ave*, & exponit hæc verba, *Ave gratia plena, Dominus*

Tom. 2. p. 849. ex cod. Regio. 2350.

Bibliot. PP. Lugdun. An. 1677. to. 10. p. 629.

nus tecum, benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Ut Orientalis, & Occidentalis ecclesiæ ceteros Patres prætercam, colophonem imponat S. Germanus Patriarcha CP. eorumdem temporum scriptor, & celeberrimus Sacrarum Imaginum propugnator, qui pluries Angeli verbis Mariam alloquutus, subjicit tandem, *verum hæc quidem nos exilissimi ex scriptura divinitus inspirata edocti, indignis labiis ad cælestem Sponsam, Reginamque, ac Dei Genitricem sumus proloquuti; nunc autem, desideratissimi, superest ut ad Divinam Archangeli Gabrielis Salutationem veniamus.* Hæc rudimenta quædam psalterii, seu precationis nostræ jure quis vocaverit.

CAP. II.

Bibliot. PP. Lugdun. to. 13. p. 64.

IX. Leve omnino est, ex Anglica voce *Bedes* qua Rosarium nuncupatur, contendere Bedam ejus Auctorem fuisse. *Potuit alia de causa sic vocari*, ait ibidem cl. Mabillonius, *puta à beltide, quæ vox in Concilio Celichythensi usurpatur.* Beltis oritur

à vo-

CAP. II. à voce Saxonica *belt*, quam latine *cingulum* interpretatur Henricus Spelmannus, apud eruditissimum *Carolum Cangium* in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis, v. *Beltis*. At hic diutius morari foret operam perdere; citius enim è pumice aqua exprimatur, quam ex ea voce Bedæ institutio.

X. Synodus Celichythensis coacta in Anglia 6. Cal. Augusti, A. D. 816. Canone X. de Exequiis Episcoporum agens, statuit ut *Singuli servorum Dei diem jejunent, & triginta diebus canonicis horis expleto Synaxeos, & septem beltidum Pater-Noster pro eo cantetur*. Canon hic nullum nobis facessit negocium, etsi à Spelmanno, apud Mabillonium, & Cangium ad nostrum *Rosarium* trahatur, obtorto utique collo, si de Rosario nostro loqui velimus. Ipsomet Spelmanno fatente, ad Canonis interpretationem, satis est agnoscere ibi *cingulum*, vel aliud quidpiam simile ad opem memoriæ ferendam in Orationum Dominicarum ad numerum recitatione; Rosa-

Concil. Labbei to. 7. p. 1484.

Fortasse *expleta Synaxi*. textus corruptus castigatione indiget.

ſarium autem à nobis, immo à cunctis, multo preſſius ſumitur. Hinc Spelmanno haudquaquam accedit Cangius v. *beltis* ubi ait *verum an Roſarii uſus ea tempeſtate extiterit, jure addubitari poteſt*; ejuſque commentum merito rejicit Mabillonus.

XI. Petro Ambianenſi eremitæ ſæculo XI. Roſarium adjudicat Polydorus Virgilius, de Invent. rer. l. 5. c. 9. Deſcripto enim hoc orandi ritu, & enumeratis 150. Angelicis Salutationibus ad illum ſpectantibus, cum 15. Orationibus Dominicis ſubdit, *& id Deiparæ Virginis pſalterium nuncupant. Ejus rei auctor fertur Petrus Eremita, homo Gallus, civis Ambianenſis, qui ab hinc annos 430. hoc eſt circiter annum ſalutis humanæ* 1090. *ſanctitate floruit, egitque cum Urbano Romano Pontifice ut bellum Aſiaticum à noſtris ſumptum fuerit, quo Hieroſolyma recepta ſunt*. Hæc ille; ſed ad fontes, ex quibus haurit hanc originem, digitum non intendit. Nos ei de veteri inſtitutione loquenti poſt annos

Sub Urban. II. Roman. Pont.

nos quadringentos sine ullo teste, tantum non deferimus, ut in ejus sententiam descendamus. Fucum fortasse fecit Polydoro alius tunc orandi ritus in honorem B. Virginis ab eodem Urbano II. Romano Pontifice ejus instauratore, decreto probatus A. 1095., atque præscriptus in Concilio Claromontano, pro sacro bello, coacto, ubi sancitum est, *ut horæ B. Mariæ quotidie dicerentur, officiumque ejus diebus Sabbati fieret*, ut ex Gaufrido Priore Vosiensi refert cl. Mabillonius Præfatione sæpius laudata n. 117. Aliam deceptionis causam detegit idem n. 127; suspicatus confundi á Virgilio Petrum cum alio Eremita, cui Divina revelatione constitit, Deiparam intercessisse pro quodam Theoderico, eoquod uxor illius Ada, *Angelicam illam Salutationem, singulis diebus, sexagies explicaret*, ut narrat Herimannus Abbas in libello de restauratione Cœnobii S. Martini Tornacensis. Tandem imponere potuit Virgilio id quod superius de Aiberto Monacho, ejusque Ange-

Angelicis Salutationibus adnotavimus, maxime cum ambo ſub Urbano II. pietate inſignes extiterint. At cum idem auctor Dominicas preces, ſingulis decadibus, in Roſario poſtulet, ſemetipſum jugulat; nulla enim de illis mentio in conſimili ritu occurrit Sæculis XI. & XII. Nil ejuſmodi precibus vel Adæ uxoris Theoderici, vel Aiberti cum pſalterio noſtro commune, demtis Angelicis Salutationibus. Merito itaque Mabillonius, atque Graveſonius Virgilii narrationem rejiciunt; maxime cum apud Wilelmum Tyri Archiepiſcopum Sæculi XII. Scriptorem diligentiſſimum, in libris de bello ſacro, quibus ſacrarum expeditionum hiſtoriam complectitur a Concilio Claromontano An. 1095. uſque ad An. 1180. altum ſit ubique ſilentium de ea re, licet Petri Ambianenſis ſæpius meminerit.

Gravef. Hiſtor. Eccleſ. Sæcul. XIII. & XIV. Colloq. VI. to. 5. p. 522.

XII. Clariſſimum Mabillonium pugnantia ſcribere quis ſuſpicari poſſit, quod in Annalibus Benedictinis, poſt Præfationem ſæpe laudatam editis, An. 1044.

Tom. IV. p. 462.


CAP. II. 1044. n. 69. & 70. *Rosarium* antiquius putet, ac ipsemet primum existimaverat; etenim loquens de Godiva illustri femina, optime merita de Coventriensi Monasterio, videtur vocasse Rosarium *circulum gemmarum* ad quarum contactum preces enumerabat. Revera vir doctissimus sibi constat. Non loquitur in Annalibus de Rosario, uti nunc distributum est, & de quo agitur in præsentia, sed eo nomine quamcumque precatoriam coronam donat. Hinc *genus quoddam Rosarii* fuisse preces, ac circulum Godivæ autumat. Immo, ut ostendat eam orandi formam jam tum obtinuisse, confugit ad Salutationes Angelicas quas Ada *Sexagies explicabat*, ut diximus, subjiciens, *hæc ergo origo videtur Coronæ, quam vocant, Beatissimæ Virginis*. Non igitur de nostro, sed de alio ritu loquitur, quem, quo mavult nomine, insignire, viro summo, per nos, licet. Ceterum, quamvis Godiva singulari in B. Virginem pietate fuerit, nos latet tum numerus

merus ejus precum, tum cujusmodi illæ fuerint. Cum igitur nulla rationum momenta cogant, non videtur dicendum Rosarium inventum ante XIII. Sæculum. CAP. II.



CAPUT III.

Rosarii Mariani Origo, & Epocha non statuenda post Sancti Dominici ævum.

CAP. III. I. D temere constituitur quod nullis prorsus momentis, nulla auctoritate asseritur; cum enim res gestæ, seu facta à testium fide pendeant, plane constat, futile esse ac nutare quidquid, his sublatis, proprio marte excogitatur. Rosarii epocham temporibus Dominicum subsequutis, vix ullus alicujus nominis scriptor constituit; quapropter dici illud nequit opus auctoris recentioris. Quo autem hoc magis, magisque constet, animadvertendum est, si liceret commi-

minifci inventum fuiffe Rofarium posterioribus fæculis, id folum videri poffet contigiffe circa annum 1460., vel 1470., tum cum intermortua hæc precandi forma cœpit ad lucem revocari ab Ordine Prædicatorum. At quivis fanæ mentis ultro fatebitur, tunc quidem ejufmodi orandi morem ab interitu fuiffe vindicatum, minime vero in lucem emerfiffe. Operæ pretium eft id paullo accuratius enucleare, cum inde evinci nullo fere negotio poffit Sanctum Dominicum Rofarii inftitutorem extitiffe.

II. Ut argumentum prætercam petitum à Thoma Cantipratenfi fuperius laudato, & à *tribus quinquagenis* Angelicarum falutationum, ipfomet Dominici ævo, de quibus agit, Alanus a Rupe Aremoricus Ord. Prædicatorum, qui anno præter propter 1470. omne ftudium contulit ad inftaurandum hunc ritum pæne collapfum ob defidiam hominum in iis, quæ ad religionem pertinent, fe non aliquid novi in medium proferre, fed

CAP. III.
veterem morem iterum restituere sæpissime testatus est, maxime in Apologia Rosarii ad Episcopum Tornacensem edita à Johanne Andrea Coppenstenio O. P. Neque vero id dumtaxat singulis fere verbis profitetur, sed ea adducit prisci moris monumenta, quæ fidem omnino faciant. Qua fronte scriberet cap. 8. n. 12. Apologiæ, nisi veritati studeret: *Est sacrarum Virginum Monasterium Gandavi, in quo ab annis fere ducentis istud habent psalterium quotidie in canonicarum horarum vice persolvendum inde usque à majoribus sic traditum, & acceptum*? Quo pacto n. 14. quereretur de precum mutilatione? *Verumtamen, proh dolor! Ab hinc annis* 70., *vel* 80., *per quendam mihi bene notum, ex devotione ipsius singulari; divinum hoc psalterium fuit detruncatum, & ad solam quinquagenam redactum*. subjicit paulo post, *quibus ex omnibus de plano liquet quod docere, vel prædicare psalterium Virginis Mariæ minime de ulla novitatis*

tis nota juste suspectum haberi, culparique possit. Hæc & cetera quæ affert, tum Tornacensis Episcopus, ad quem scribit, tum frequentissimi ipsius Alani auditores, tum adversarii nonnulli qui Rosarium carpebant, ejusque propugnatores sugillabant, facile refellere potuissent, immo sublestæ fidei postulare, & falsi arguere acerrimos illos Rosarii vindices, Alanum maxime, qui inter eos familiam ducere videbatur. Ceterum nihil illis objectum est. Contra, precatio B. Virginis magis magisque floruit, atque ejus assertorum maxima semper fuit existimatio. Unum, sed omnium instar, testem satis sit adduxisse Johannem Trithemium Sancti Benedicti monachum, & scriptorem eruditum in opere de Scriptoribus Ecclesiasticis ea tempestate exarato, qui hæc habet de Alano, & Rosario: *Alanus de Rupe natione Theutonicus Ordinis Prædicatorum, vir in Divinis Scripturis eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentissimæ opinionis, vita*

CAP. III.

Trithem. de Script. Eccl. edition. Basileen. An. 1494. v. *Alanus*. Theutonicus domicilio aliqua ratione dici posset. Revera Gallus fuit, Britannus, Aremoricus.

CAP. III. *& conversatione Deo devotus, & B. Mariæ semper Virginis amator præcipuus, ejusque Rosarii, & famulatus promotor venerandus, à qua etiam singulari dono supernæ consolationis aliquoties meruit recreari, & jam in æterna felicitate refoveri, scripsit inter alia ingenii sui opera &c. Moritur autem in Conventu Zuvollensi sub Friderico Imperatore III., & Sixto papa IV. Anno Domini MCCCCLXXIV. Indictione VII. in vigilia Assumptionis B. Mariæ Virginis, cujus Rosarium, & Passionis Christi recordativum psalterium, quod diu jam fuit neglectum, revocavit ad mentes, & exercitia hominum, ob cujus honorem Confraternitatem instituit, quæ per Apostolicam Sedem confirmata in dies augetur, & multis salutare præbet exercitium.* Consulantur scriptores Ord. Prædicatorum de Alano agentes.

Obiit An. 1475. die 8. Septembr. in Festo Nativit. B. Virginis Ex Echardo in Biblioth. to. I. pag. 849.

S. Ephemer. Ord. Præd. die VIII. Sep.

III. Idem sentit Sixtus Senensis O. P. in Bibliotheca sancta V. Alanus: *Alanus Rupensis * Germanus, vir in divinis scripturis eruditus, in declamatio-*

* excripsit fortasse Trithem.

tionibus ſacris egregius, vita & converſatione venerandus, & B. Mariæ ſemper Virginis amator præcipuus, ſodalitii quoque illius quod ſub nomine Roſarii Divæ Virgini dedicatum eſt, inſtaurator, ac promotor. Pietatem, atque doctrinam ejuſdem perſpectam habuerunt Patres noſtri Congregationis Hollandiæ, vaſtiſſimæ quondam, & florentiſſimæ, in convocatione, ut dicebant, Harlemi habita An. 1476. die 12. Maii, paucis ab ejus obitu elapſis menſibus, *mandatur*, inquiunt, *omnibus Prioribus ut faciant diligentem inquiſitionem de libris, & tractatibus, ſeu compilatis piæ memoriæ magiſtri Alani, & quicquid de eis repertum fuerit, tam in originalibus, quam in tranſumtis & excopiatis, Reverendo Vicario Generali quantocius tranſmittatur*. Fucum feciſſe Chriſtifidelibus vir tantus nullo pacto credendus eſt, aut ab ipſo primum excogitatos, impudenterque divenditos vetuſtos codices & auctores (unde unde eos nactus fuerit) ad quos iden-

Cap. III.

Obiit An. 1475. menſe Septemb. Vide Echardi Biblioth. O. P. to. I. p. 849.

CAP. III.

tidem provocat. Morum ſanctitatem maxime conducere ad hiſtoricos internoſcendos nemo ſanæ mentis inficiabitur, ut animadvertit vir ſummus familiæ noſtræ Melchior Canus lib. XI. de locis Theologicis, qui de hujuſmodi rebus optime poterat judicare.

Lib. XI. de hum. hiſtor. auctor c. 6. p. 317. edit. Patav. An. 1714.

IV. Paucis poſt Alanum annis cœtus ob Roſarium recitandum ubique gentium coacti; iis tamen perſuaſum erat alios conſimiles longe vetuſtiores præceſſiſſe, ut patet ex Toloſano, *Ad laudem Dei omnipotentis & beatiſſimæ Virginis Mariæ, ſub anno Domini* 1492., *circa finem Aprilis fuit renovata antiquiſſima, & ſanctiſſima Confratria Roſarii, ſeu Chappelletti ejuſdem glorioſæ Virginis Mariæ, in præſenti Conventu FF. Prædicatorum Toloſæ*. Adeo autem infixum erat mentibus pii hujus ritus cultorum Sæculo XV, altius repetendam eſſe ejus originem, ut cœtus illi B. Mariæ Virginis, & S. Dominici nominibus inſignirentur. Conſtat ex litteris Fratris Johannis Excuria Vicarii Generalis Con-

P. Lafon. O.P. ex Roſarii Codice Toloſano. ſubſcribunt Monachi S. Bened. Senat. aliique.

Echard. V. Johan. Excuria ſeu de la Cour ſive Vvten hove to. I. p. 870. Excriptæ ſunt ex Cod. MS. Biblior. Eccleſ. Tornac. exarato An. 1476.

Congregationis Hollandiæ O. P. Duaci An. 1470. die 16. Martii, vivente adhuc Alano in erectione Duacenæ Sodalitates. Hæ litteræ ex Echardo sunt primæ, quæ datæ sint pro Rosario, post ejus instaurationem. *Agnoscens fidem & devotionem fratrum, & sororum Confratriæ Virginis Mariæ, & D. Dominici Ordinis Fratrum Prædicatorum, quæ Confratria Duaci est fundata in communicatione omnium meritorum Spirituali, & oratione psalterii Virginis Mariæ, sine obligatione tamen ad quamcumque culpam, sive mortalem, sive venialem--recipio ipsos participes & præsentes & futuros in cunctis bonis prædicationum, jejunorum, vigiliarum, studiorum, & laborum &c.*

Const. Ord. Præd. nullum vel levi crimine obstringunt.

V. Accedit magni ponderis argumentum ex Constitutione Sixti IV. edita Romæ An. 1479. IV. Idus Maii (incip. *ea quæ ex fidelium devotione*) paulo post pii hujus ritus instaurationem. Hunc Summus Pontifex antiquiorem vocat, licet tunc fuerit inno-

Tom. 1. Magn. Bullar. Rom. edit. Lugd. An. 1692. p. 432. XVIII. inter Constit. Sixti IV.

CAP. III. novatus. *Sane pro parte dilecti filii nobilis viri Francisci Ducis, & dilectæ in Christo filiæ nobilis mulieris Margaritæ ejus contboralis Ducissæ Britanniæ, nobis fuit nuper propositum quod in Ducatu Britanniæ & pluribus aliis locis, crescente fidelium devotione, ab aliquo tempore citra, innovatus est certus modus, sive ritus orandi pius, & devotus, qui etiam antiquis temporibus à Christifidelibus in diversis mundi partibus observabatur, videlicet quod quilibet volens eo modo orare, dicit qualibet die ad honorem Dei, & Beatissimæ Virginis Mariæ, & contra imminentia mundi pericula, toties Angelicam Salutationem Ave Maria, quot sunt psalmi in psalterio Davidico, videlicet centies, & quinquagies, singulis decem salutationibus hujusmodi Orationem Dominicam semel præponendo; & iste ritus, sive modus orandi, psalterium Virginis Mariæ vulgariter nuncupatur.* Rosarium innovatum fuisse Sixti IV. ævo exploratum erat, nec ecclesiam la-

latere poterat, an tunc primum in lucem prodiret, maxime cum pro ejus approbatione Principes laboraverint, & Fridericus III. Imperator, & Alexander Episcopus Foroliviensis Apostolicæ Sedis cum potestate legati a latere in tota Germania nuncius, ut habetur §. 2. Constitutionis *Pastoris æterni* Leon. X. editæ A. D. 1520. Raymundum quoque Tituli S. Mariæ Novæ Presbyterum Cardinalem in Germania Sedis Apostolicæ Legatum, nec non plures Episcopos Anno circ. 1483. Rosarium probasse, & ecclesiæ thesauris locupletasse, testis est omni exceptione major idem Leo X. ibidem §. VII. Nullus profecto sanæ mentis dixerit, in rebus, non clanculum gestis, sed palam, & in publica luce, impositum fuisse impudentissime fidelibus, Episcopis, Legatis, Imperatoribus, summis Pontificibus, totique propemodum ecclesiæ.

Bull. Rom. edit. Lugd. to. 1. p. 614.

VI. Toto ante revocatam postliminio Rosarii precationem, quam sæpe, ut innuimus, *Psalterium* Deiparæ appel-

pel-

CAP. III.

Vita B. Claræ ex Ital. MS. Monast. S. Domin. Pis. in Actis Sanctorum die 17. Aprilis to. 2. Apr. p. 506.

pellaverunt, sæculo, floruit B. Clara de Gambacurtis Pisana quæ primum viro nupta, postea Prædicatorum familiæ nomen dedit. Hæc ab ineunte ætate Rosarium adhibere consueverat, An. cir. 1374. siquidem An. 1362. orta est ex cap. 1. Actorum ipsius, annum vero duodecimum agens precibus hisce vacabat ex cap. 2. *Duodennis effecta, supra quam ætas illa ferat, divinitus illustrata, præventaque apparuit--Ergo sæpe cogebat cœtus juvencularum, quas circum se considere faciens, prælegebat eis aliquid ex libro quopiam pio: itaque ad pietatem incitatas, nunc Dei laudes secum cantare jubebat, nunc flexis genibus Rosarium dicere, aut alias preces*. Optime Daniel Papebrochius putat ejus historiam ab æquali sanctimoniali conscriptam, quod non obscure innuunt illa verba n. 21. *Et quamvis naturaliter esset nauseabunda, quemadmodum in ejus morbis satis experiebamur, faciebat hoc tamen vincendi sui causa*. Aliunde etiam patet quanti

ti

ti faceret Orationem Dominicam, & Angelicam ſalutationem, nam male ſe habens, *Obſecro vos* (ait, eos qui aderant allocuta) *ut cuncti in genua proſtrati ſinguli ter Pater & Ave recitetis in honorem ſanctiſſimæ Trinitatis*. Roſarium quoque nominat Fr. Dominicus Scevolinus, natione Picenus, patria Fabrianenſis in commentariis de rebus Fabrianenſibus ad ſua uſque tempora, narrans piam quandam feminam Roſarium ſuum corpori B. Franciſci Fabrianenſis Ordinis Minorum admoviſſe. Florebat Scevolinus An. 1320. vix ſæculo à fundato Prædicatorum Ordine elapſo.

Echard. to. 1. Biblioth. p.551.

VII. A Roſario perſæpe non differre, vocatum vulgo *Pater Noſter*, non levis eſt conjectura, cum circa eadem tempora occurrant; neque aliter intelligendum videtur quod de miraculis in funere Sanctæ Catarinæ Senenſis patratis ſcribit B. Raymundus eidem à Sacris Confeſſionibus num. 383. *Parentes autem*, puellæ phthiſi laborantis, *miraculorum per Sacram Virginem patratorum fa-*

B. Raymun. de Vineis Capuan. O. P. Gener. Magiſter. Echard. to. 1. p.680.

Vitæ D. Cat. & Agnet. in Actis SS. to. 2. April. p. 809. & to. 3. p. 948. edit. Hensch. & Papebroch.

fama percepta; ipsam eidem Virgini devote recommendantes, fecerunt eam tangere velum, seu Pater-Noster quæ Virginis corpus tetigerant. Nec silentio prætereundum quod habet idem Raymundus in Vita B. Agnetis Montis Politiani Virginis O. P. c. 9. num. 78. *Agnetis mortuæ sua Pater-Noster filo inserta Sororem quandam in manus accepisse, & cum deoscularetur fragrantem ex iis odorem percepisse*. Obiit B. Agnes anno 1317., ejusque gesta conscripsit Raymundus circa medium ejusdem Sæculi ex testimonio discipularum Agnetis superstitum. Sub idem tempus Humbertus Delphinus abdicato principatu in Prædicatorum familiam cooptatus est, sepultusque jacet Parisiis apud Prædicatores: super ejus autem tymbo æneo sodales plures Ordinis ad latera sculpti Rosaria manu præferunt. Valbonna irius agens de Humberto in Historia Delphinatus affert computum apud Echardum sæpius laudatum circa A. D. 1333. in quo legitur, *pro duobus filis de Pater-Nostris de ambro*. In Historia Gallica *Delphi-*

phinatus edita A. 1722. exhibentur hæc eadem æreis formis cuſa tom. 1. pag. 352. Illinc vero conſtat Patriarcham Alexandrinum, & perpetuum Adminiſtratorem Remenſem fuiſſe Humbertum, & obiiſſe A. D. 1355. die 22. Maii. In altero autem Operis tomo p. 271. habetur *Extractum Computi Johannis de Ponciaco Theſaurarii D. Humberti ab Anno* 1333. *uſque ad annum* 1336., inquo hæc leguntur. *Pro pectinibus ſex, & ſpeculis ſex, & duobus filis de Pater-noſtris de ambro, & duobus filis de Pater-noſtris de curallo, & duobus filis de Pater-noſtris de vitro, & una cona de plumbo . . . . . . unc.* I. *taren.* VIII. *gran.* XVIII. *Item in quatuor filis de Pater-Noſtris de chryſtallo . . . . taren.* IV. *Cona* hic idem eſt atque *Icona*, ut appenderetur Roſario, quemadmodum nunc quoque fit. Quid? Quod ex Echardo eodem V. *Petrus Dacus*, An. D. 1270. Fr. Nicolaus Dacus dedit B. Chriſtinæ Stumbelenſi *ſuum Pater-Noſter quod perſonaliter quatuor annis portaverat*, nimirum, ut nunc ſit, ad

zo-

CAP. III.

zonam appensum. Patet igitur ex tot allatis monumentis, Rosarium circa annum 1470. innovatum quidem fuisse, sed neutiquam recens ecclesiæ exhibitum, multo minus alio quovis tempore post Sanctum Dominicum. Alano hujusmodi preces ab interitu vindicanti idem omnino contigit quod Urbano II. Romano Pontifici & Sancto Petro Damiano Cardinali alias B. Virginis preces, hoc est ejus Officium, sive Horas, & Cursum, ut dicebant, excolentibus, & promulgantibus. Etenim ut hi propterea crediti sunt harum precum, quæ antiquiores erant, auctores, ita Alano Rosarii inventio inepte à quibusdam adscripta fuit. Facile est primas rerum origines, utpote, minus obvias, & tenebris obsitas negligere, & prætermissa diligenti investigatione, veterum inventa tribuere recentioribus magis notis, ut sæpe usuvenit, illis maxime qui aliquid sedulo excolendo suum quodammodo effecisse videri possint.

CA-

CAPUT IV.

Sanctum Dominicum Rosarii Mariani Auctorem extitisse ostenditur.

I. 
Uæ paulo ante dicta sunt, non abs re adnotata videbuntur, quandoquidem nedum viam sternunt ad ostendendum primum Rosarii Auctorem, verum etiam id apud æquos rerum æstimatores evincunt. Sæculo XV. Rosarium, non tantum ut longe antiquior ritus è tenebris erutus, palam, & ubique commendabatur, sed ut præclarum Sancti Dominici inventum ad pietatem fovendam celebrabatur, ipsique referebatur acceptum. *Iste est Apostolus ille psalterii, de quo alma Dei Virgo, non semel ei facta revelatione, mandatum, formam-* CAP. IV.

CAP. IV. *que dedit ejuſdem prædicandi* : Ita de B. Dominico eo Sæculo Alanus Britannus ſæpius laudatus in Apologia Roſarii ad Epiſcopum Tornacenſem c.8.n.10. Hinc Jacobus Sprengerus Ord. Prædicatorum, Fidei Quæſitor celeberrimus, eundem ritum Coloniæ, alibi Michaël de Inſulis ejuſdem familiæ, & innumeri eorum ſodales ubique gentium complexi ſunt, tanquam eum qui ad Ordinem Prædicatorum pertineret jure hereditario.

II. Quoniam vero reponi poſſet, hæc ab illis temere in vulgus ſparſa fuiſſe ad fucum ei faciendum, vel, ut propriis rebus, qua jure, qua injuria, ſtuderent; animadvertamus oportet, & illorum pietatem, & vetera monumenta quæ afferebant, & Principum, Legatorum, Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ totius mentem omnino impedimento eſſe, quominus tam præpoſterum judicium feramus de pia Roſarii inſtauratione. Ut alia ſilentio prætercam, adducam quæ Alanus ſcribit in eadem Apologia, c.8.n.13. *Sed & perve-*

vetusti codices evidentissime testantur CAP. IV.
ipso facto me vera memorare, sicut in Gandensi Ordinis nostri Conventu, aliisque multis terrarum in locis doceri potest, neque pene est natio usquam fidelium, ubi non virorum innumerorum, ac mulierum antiqua Patriloquia visansantur dictum ad modum disposita, & collecta. Conferri possunt quæ de Rosarii globulis *Patriloquiis* vocatis, eorumque structura Alanus asserit, cum iis, quæ diximus Cap. III. n. VI. & VII. Laudat quoque Johannem de Monte, & Thomam de Templo veteres Sancti Dominici sodales, qui in Rosarii commendationem libros quosdam conscripserint. Sed de hujuscemodi Scriptoribus & operibus judicium ferre in præsentia, tot ob témporum injuriam absumtis monumentis, res est admodum difficilis, & caligine obsita. De Johannis XXII. Pont. Max. sub initium Sæculi XIV. diplomate pro Rosario verba facit ibidem c.13. *Bullæ transumtum vidi, authographum Avenione in Conventu nostro asservatur, ut*

CAP. IV.

audii. Sed hoc ubi nam extet modo ignoramus. Satis sit meminisse, Alani ævo superfuisse plura, quæ nunc expiscari velle sit operam ludere. Nihilominus Sixtus V. in Constitutione *Dum ineffabilia meritorum* edita Anno 1586. meminit Constitutionis ejusdem Johannis XXII. pro Rosarii cœtu, immo cujusdam editæ ab Urbano IV. Uterque Pontifex erat eximius Deiparæ cultor, & Angelicam Salutationem maximi faciebat, nam ipsam *devote dicentibus* Ecclesiæ thesauros contulerunt, ut ex libello quodam narrat Mabillonius Præfatione toties allata nu. 128. Præterea Johannes XXII. statuit ter Angelicam Salutationem *Ave Maria* dicendam esse hora *ignitegii*, ut testatur cap. 13. Concilium Parisiense celebratum A. D. 1346., & Concilium Beneventanum Provínciale sub Hugone II. Guidardo Archiepiscopo Anno 1374., hisce verbis, Tit. 16. cap. 32. de iis quæ licent interdicti tempore, *Pro Ave Maria vero de mane & de sero, ut habet laudabilis con-*

sue-

Bull. Rom. to. 2. p. 520.

Johan. vulgo dict. XXII. creat. Pont. An. 1316. Urban. IV. An. 1261.

Conc. Paris. An. 1346. adud Lab. t. XI. p. 1915.

Ignitegium quando nocte adventante ignis tegitur *Pyritegium* eadẽ notione à Græca voce . . . *pyr*, seu *ignis* V. Cangium. In Glos. Lat. V. *ignitegium*.

ſuetudo primitus adinventa à recolendæ memoriæ Johanne P. XXII. poſſunt pulſari; loquebatur de ære campano, ſive de pulſu campanarum. Itaque jure precationis hujus pene deperditæ aſſertor Alanus in eadem Apologia ſubjicit cap. 15. *Ordinis autem Fratrum Prædicatorum proprium eſt, planeque peculiare pſalterium iſtud prædicare. Idem cum ex traditione accepimus, tum ex relictis ſcriptorum monumentis, ut legi*. Innocentius VIII. Pont. Max. quod tunc Ordo Prædicatorum de ſuo Roſario ſentiebat, Auctoritate Apoſtolica confirmavit, cum Bartholomæo Comatio Ordinis Generali Magiſtro, & Generalibus comitiis, An. D. 1484. largitus fuerit *plenariam Indulgentiam* pro Roſarii ſodalibus *ſemel in vita, & ſemel in mortis articulo*, ut habetur in Conſtitutione *Paſtoris æterni* Leonis X. §. VI. Quid? quod idem Leo X. ibid. §. 1. cum de Dominico tanquam pſalterii hujus Auctore loqueretur, uſurpavit verba illa, *prout in hiſtoriis legitur*; unde patet plurima mo-

CAP. IV.

Conc. Beuevent. ex veter. M. S. Biblioth. eccleſ. Benev. In Synodico Benevent. edidit. Card. Urſin. nunc Bened. XIII. R. P. A. 1695. p. 281. Beneven. & Romæ A. 1724. p. 237.

Bull. Rom. edit. Lugd. t. 1. p. 624.

 mo-

CAP. IV. monumenta interiisse quæ pridem superant. Igitur, quod spectat ad ea quæ attulimus, Alani, & sociorum fidem in dubium vocare animi foret nimis pervicacis.

III. Patet, nisi egregie fallimur, Dominici ævo Rosarii, uti nunc est, epocham affigendam esse, non prioribus sæculis, neque sequutis. Quæ cum ita se habeant, quisnam, amabo te, primus Rosarii Auctor statuatur, si Dominicus causa cadat? Nullus alicujus nominis scriptor alium protulit, aut proferre poterit, cui potiori jure hujusce ritus, eo sæculo, acceptam referat adinventionem. Nam quod attinet ad Sanctissimum insignis Minorum familiæ parentem, commentum ineptum, ac nulla ratione nixum damnavit Alexander VII. Pont. Max., litteris, quarum initium, *In Supremo Militantis Ecclesiæ solio*, Rom. A. D. 1664. die 28. Maji. Cum enim quidam contra clarissimi Ordinis sui Leges, Tolosæ Rosarium seraphicum excogitassent, *declaramus*, ait, *ad favorem dilectorum*

In Bull. Roman. edit. Lugd. to. 5. p. 397. Constitut. CLII. Alexan.

rum filiorum Fratrum dicti Ordinis Prædicatorum Tolosæ commorantium — nec posse prædictos &c. novum Rosarium sub titulo Seraphici, aut novem novenarum, vel alterius rationis inducere, prædicare, & docere &c.

IV. Itaque non alius quam Dominicus, pro quo communis sententia pugnat, statuendus est ritus nostri Auctor. Et quidem Sancti hujus viri non vulgaris extitit in Deiparam pietas, quemadmodum maxima fuit Deiparæ in eum, ejusque Ordinem benevolentia: Hanc, ut alia præteream, ostendit indumentum ipsum Sacræ hujus familiæ, quod vivente adhuc Dominico, & B. Virginem exorante, Reginaldo Aurelianensi Decano, totique Ordini è Cælo attulisse, veteres Ordinis Scriptores memoriæ prodiderunt, maxime Vincentius Bellovacensis, & Nicolaus Trivetus in accuratissimo Chronico ad An. 1217. *Dominicus*, ait Vincentius, qui paulo post ejus obitum claruit, *totum se ad orationem contulit, aures Divinæ clementiæ, regi-*

Vin. Bellov. Spec. Hist. l. 30. c. 69. Nic. Triveti Chronicon extat in Spicil. D'Achery to. 8. p. 411. vet. edit. & tomo III. p. 143. nov. edit. Paris. 1723.

CAP. IV. *næque misericordiæ Beatæ Mariæ, cui tamquam speciali patronæ, curam Ordinis totam commiserat, importunis clamoribus cordis interpellans &c. Tandem*, subjicit Trivetus de B. Virgine quæ Reginaldo se videndam præbuit, *ei habitum, quo nunc utuntur fratres, ostendens, ait, hic est habitus Ordinis tui*. Huc spectant quæ scribit Thomas Cantipratensis l. 2. de Apibus. c. 53. num. 4., videlicet B. Virginem, noctu, ægrotanti Cœnobitæ Ord. Prædicatorum, *qui mire erat deditus servitio matris Dei* dixisse, *ego mater Christi Patrona Ordinis tui præmunire te veni*. Digna porro quæ adnotentur sunt verba ejusdem Sanctissimæ Dei Genitricis, apud eumdem Cantipratanum ibidem c. 10. num. 16. alloquentis Monachum Cisterciensem insigni virum pietate; nam *meos* (ait) *fratres, & filios recommendo, — & revelato pallio, Fratres Ordinis Prædicatorum sub eo contentos ostendit*. Quid igitur mirum, Rosarium Deiparæ, quod, ut vidimus, Dominici ævo institutum est, eidem eximio

mio tantæ Virginis cultori collatum ab eadem fuiſſe; & Ordini qui tum ſub Mariæ auſpiciis oriebatur ? Res eſt non ſolum nullis obnoxia difficultatibus (quid enim affertur quod hanc ſententiam convellere, immo revera labefactare poſſit ?) verum rationi maxime conſentanea. Injuria Ordo Prædicatorum à Dominico, Maria auſpice natus, de paterna hæreditate dejiceretur ab illis qui nodum in ſcirpo quærunt. Cui potiori jure acceptum referatur Roſarium, quam illi, in quem tot á B. Virgine collata ſunt beneficia tum cum fuit inſtitutum ?

V. Fatemur ultro præceſſiſſe Roſarii prima veluti rudimenta, ut diximus Cap. II. n.VIII. Sed nullus tradit numeris omnibus abſolutum fuiſſe, vel variis quibus conſtat partibus donatum, ut de Myſteriis Chriſti Servatoris ſileam, à quibus tantum ſplendoris mutuatur. Unuſquiſque prout illi arridebat, numerum quemdam precum perſolvebat ; hæ vero erant quandoque plures, quandoque pauciores quinquaginta, vel

CAP. IV. vel centum quinquaginta nostris. Mariam Angeli verbis eo numero qui Davidis psalterio congruit pauci coluerunt, sed orationem Dominicam non adhibuerunt; nemo præterea cœtum illum instituerat, qui ejusmodi precationes usurparet. Cuncta hæc animo complexus Dominicus fertur, ac non injuria: ecquis enim, sodes, palmam illi præripuit? Nullus in medium, Sæculo XIII. affertur, quod tamen factu opus erat ad vulgatam sententiam, quæ à tot annis obtinet, convellendam. Veteres traditiones ubi sæculorum moribus, & disciplinæ minime adversentur, immo illis apprime congruant, non sunt rejiciendæ, si ad incudem revocentur, nisi maximis rationum momentis, quæ fidem omnino faciant, ac plane cogant. Dominici ævo frequens fuit Angelicæ salutationis usus. Id plura eorum temporum monumenta docent: ad psalterii numerum, vix repetebatur. Sanctus pater illum amplexus est, cui Divino afflatu, Orationem Dominicam tanquam omnium præstantissimam,

adeo-

adeoque minimè prætermittendam sapienter addidit, atque præclaro quodam ordine digessit. Neque uni innixi traditioni Majorum contendimus sanctum virum pluribus Angelicis Orationibus Dominicas preces junxisse, quod tunc vix erat in usu; ita enim de illo scribit sequenti sæculo B. Raymundus in Vita D. Catarinæ Senensis num. 77. agens de Militia Jesu Christi dicta, cujus quoque S. Pater extitit Auctor, *Insuper assignavit eis quendam taxatum numerum Dominicæ Orationis, & salutationis Angelicæ, quem pro qualibet hora canonica quotidie deberent perficere orando, ut à divino officio non vacarent.* Itaque à vero non abhorret, immo constare putamus duplicem hanc precationem, præstanti quodam ordine ab eo fuisse dispositam.

CAP. IV.

Acta SS. t. 3. Apri. p. 872.

VI. Sacri cujusdam cœtus auctorem fuisse Dominicum tam certum est quam quod maxime. Extat insigne monumentum apud Petrum de Vineis Cancellarium Friderici II. Imperatoris, acerrimum hostem Prædicatorum, atque-

CAP. IV. atque Minorum, qui Dominico suppar fuit, l. 1. epist. 37. *sacerdotium conqueritur de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, eorumque factum reprimi poscit. Hi enim duas novas Fraternitates creaverunt, ad quas sic generaliter mares, & feminas receperunt, quod vix unus aut una remansit, cujus nomen in altera non sit conscriptum; unde conveniunt singuli in ecclesiis eorundem*. Ita sacras familias in ipsis exordiis toto orbe celebres sugillat ad invidiam illis conflandam. Non dubitamus quin Deiparæ sodalitatem vellicet Petrus, cum vetustas illius in quibusdam templis Prædicatorum à D. Dominico usque sit repetenda. Sancti Patris, & Petri de Vineis ævo, Alexander IV. Romanus Pontifex, Apostolicis litteris commendat Placentinam Confraternitatem B. Mariæ Virginis in æde Prædicatorum, largitus eidem Indulgentias A. D. 1259., ut videre est apud Petrum Mariam Campium Canonicum Placentinum in Historia Ecclesiastica Pla-

Obiit Anno cir. 1239. Vide edit. Ambergæ An. 1609. p. 226.

Placentiæ. Easdem subjicimus, quod maximum sententiæ nostræ robur adjiciant, quodque rem pluribus admodum gratam nos facturos existimemus. *Alexander episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus, Confratribus, & Sororibus universis Fraternitatis B. Mariæ Placentin., Salutem, & Apostolicam benedictionem. Splendor paternæ gloriæ, qui hunc mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementissima ipsius majestate sperantium, tunc præcipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Cum itaque sicut ex dilectorum filiorum Fratrum Ord. Prædicatorum Placent. insinuatione percepimus, Fraternitas vestra in honorem Gloriosæ Mariæ Virginis sit laudabiliter instituta; nos digne volentes quod ipsa de bono in melius augmentetur. de Omnipotentis Dei misericordia, & BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pænitentibus, &* con-

CAP. IV.

Part. 2. pag. 216. ad An. 1259. & p. 406. n. CVIII. In Regest. Privileg. ex tabular. Prædicat. S. Johan. Placent.

CAP. IV. *confessis, qui se in eadem fraternitate collegas, & confratres hactenus statuerunt, vel statuerint in futurum, ac etiam semel singulis mensibus, secundum salubria & provida statuta in dicta ecclesia prædictorum Fratrum, ad Missarum solemnia, & Dei verbum in commemoratione ipsius B. Virginis audienda convenerint reverenter, centum dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus. Dat. Anagniæ X. Calendas Februarii, Pontificatus nostri Anno quinto*. Hæc quæ deperdita esse confirmant vetera diplomata, & codices, quorum summi Pontifices, Alanus, & ceteri meminerunt, minime obtorto collo cum Petro Maria Campio ad Rosarii societatem trahimus, quæ etiamnum, *semel singulis mensibus, secundum salubria & provida statuta* piis vacat operibus, & precibus, *in commemoratione ipsius B. Virginis*.

VII. Quis igitur falsi postulet Scriptores Ordinis Prædicatorum, quod domesticam sodalitatem Deiparæ ad Do-

Dominicum referant? Nil verisimilius iis quæ habet Jacobus Percinus in monumentis Conventus Tolosani, nempe primum omnium Rosarii sacellum in Parochiali Ecclesia S. Jacobi Mureti extructum fuisse anno 1213. quo Catholici insigni victoria ibidem potiti sunt, Dominici precibus, & Mariæ auspiciis, *indubitataque est urbis Mureti fides -- prout videre est veteribus scriptum characteribus ad ingressum dicti Sacelli*. Non absimile quidpiam testatur Cornelius Snechius O. P. de antiquis Rosarii sodalitatibus Harbestadiensi, & alia *B. Virginis de Traillia*. Prioris vetustatem desumit ex Codice, qui *statim post tempora S. Patris Dominici* scriptus videbatur, & quem Cornelii ætate licebat consulere, & de B. Virginis psalterio tantum agebat. Alterius originem ab Anno usque 1237. arcessendam putat ex consimili codice Ecclesiæ S. Petri Insulensis, *reperi, & manibus tenui quendam antiquum librum in pergameno de institutione Fraternitatis*. Sodales in

CAP. IV.

Muretum, sive etiam Murellum, *Muret*, oppidum Galliæ in Aquitania, & in tractu Convenarũ; ad Garumnam fluviũ.

Percinus sæ. I. A. 1213.

Percinus de Ros. p. 1. c. 4.

CAP. IV. in album pii hujus cœtus relati afferebant pia munuſcula, Pſalteria Davidis, & *Mariana, ſive de Domina*. Qui velis, remiſque Dominicum hujuſmodi honore auctum non fuiſſe contendunt, non habent quo ſe recipiant, niſi reponant, excogitata cuncta ad libidinem, maleferiatos, ac nebulones fuiſſe id genus Auctores, omnia ſibi licere ratos quæ poterant, vel pietati, vel etiam rebus domeſticis prodeſſe. At nervum omnem intendant, ſeque in omne latus vertant, fateantur oportet ſe ad incitas redactos, dum ita nobis obviam ire poſſe confidunt. Parcius ejuſmodi convitia objicienda ſunt viris morum integritate, rerum uſu, & doctrina præſtantibus. Cornelius qui plura *de Serto Roſaceo* edidit, in Convocatione (ut tum vocabant) Ultrajectenſi, An. D. 1505. die 22. Julii renunciatus eſt Vicarius Generalis Congregationis Hollandiæ ampliſſimæ, ea tempeſtate, & florentiſſimæ; hujuſmodi vero dignitate inſignitum fuiſſe virum qui frontem perfricuiſſet, quique

Echard. t. 2. pag. 82.

que tam ſpiſſa mendacia ſpargeret, quæ tam facile á quovis de trivio refelli poterant, in codices inquirendo, purum putum ſomnium videtur.

VIII. Nihil frequentius *Confratriis* occurrit illis temporibus, quarum maxima, niſi fallimur, extitit Toloſana Anno præter propter 1211. cujus meminit Guilelmus de Podio-Laurentii agens de Fulcone Toloſano Epiſcopo cap. 15. *juvante Legato obtinuit Toloſæ magnam fieri Confratriam*. Adverſum illam alia ſtatim exorta eſt, potius vocanda (ſi ita loqui fas eſt) *Pſeudo-Confratria*, quod á nefariis quibuſdam originem duxerit ad aſſerendam, totiſque viribus propugnandam impietatem, *in Burgo adverſus iſtam fecerunt alteram Confratriam, vallatam vinculo juramenti, tamque proceſſum erat, quod iſta diceretur Confratria Candida, alia Nigra*, ut Guilelmus ibidem ſubjicit. Difficultatem omnem, ſiqua ſuperfuiſſet, ſuſtulit Canon XLV. Concilii á Petro Beneventano, Cardinali, Sedis Apoſto-

Guilelm. de Podio Lauren. in Collectione Ducheſn. t. 5. p. 666.

CAP. IV.
Conc.Labb. tomo XI. p. 103. Celebratur Anno 1214. 6. Idus Januarias juxta Gallica supputat, sed more Romano Annus 1215. la bi cœperat ex Cossart. eod. t. XI. p. 2330.

licæ Legato, coacti apud Montempessulanum, An. 1215. mense Januario, quo sancitum fuit, *non fiant de cetero Confratriæ*, nisi accedente Episcoporum, ac Principum auctoritate. Cum enim in immensum excrescerent; ac novæ identidem pullularent, & in ea multitudine, pleræque, ut contingit, in Ecclesiæ, & Reipublicæ perniciem natæ viderentur, Concilium utrique consultum voluit, & utrique eo Canone contra præsens malum suppetias tulit. Neque Petrus de Vineis omnino injuria conquestus esset, nisi in quod aliis vitio vertendum fuerat, institutis á Prædicatoribus, ac Minoribus, societatibus exprobrasset.

IX. Accedit multo vetustiores esse in Ecclesia has *Fraternitates*, ac putant nonnulli in antiquis monumentis minus versati. Chartam vetustissimæ societatis initæ Sæculo IX. affert eruditissimus Cangius ex Tabulario Flaviniacensi An. Verbi Incarn. 894. Alteram subjicit ex martyrologio Corbeiensi, An. 1137. Indict. 15. Tandem

for-


formulam admissionis in ejusmodi pios cœtus adducit ex Chartul. Campan. Bibl. Thuan. fol. 299. spectantem ad Annum 1205. mens. Maj. paulo ante nostræ originem. Communes preces, & alia fiunt in hisce Societatibus, Monachis, cum ceteris Monachis, Laicis, feminis, quibuslibet in album sodalitatis relatis. Hæc satis sit attulisse, nequis miretur nostram hanc Sæculo XIII. à Sancto Dominico institutam. Quod si quis quærat, quo Sæculi illius anno id contigerit, an circa 1213. ut quidam autumant, an prius, an posterius? reponimus nostrum non esse hujusmodi lites componere. Clemens VIII. existimat in litteris adductis, An. 1216. hoc accidisse, verum loquitur de iis quæ Romæ gesta sunt tantum. Quid alibi, in Gallia præsertim factum sit non attingit. Nobis exploratum est Sanctum Dominicum Rosarii Auctorem extitisse; quando vero hæc contigerint, an Anno 1213. an paulo ante, an paulo post, parvi refert; neque nunc id discutere vacat.

Cangius in Glossar. Latin. v. *Fratum.*

CAPUT V.

Origo Rosarii Mariani ex Historia Albigensium illustrata.

CAP. V.

I. 
Ullius laudibus quidquam detractum volumus. Novimus contra grassantem Albigensium hæresim plures strenue laborasse, at illorum pace, nemo Dominico fortius, nemo felicius pugnavit. Testis est omni exceptione major Petrus Vallium Cernaii Monachus, c. 7. Historiæ Albigensium, & sacri belli in eos suscepti, ubi Conciones, disputationes, & scripta in hæreticos exarata commemorat; *unus autem* inquit, *de nostris Dominicus nomine, vir totius Sanctitatis*. Scripta vero ejus, addit, ter flammis injecta, ad Catholicam Religionem, cujus

Petrus scriptor accuratus nepos, & comes unius ex XII. Abbat. missis ab Innoc. III. ad expugnandos Albigen. apud Duchesn. Hist. Fran. Scriptor. to. 5. p. 554.

jus causam tuebatur, confirmandam, ter, divina virtute, illæsa resiliisse. Quæ quidem commendatio Sanctitatis, doctrinæ, atque miraculorum, eo pluris facienda est, quod, vivente adhuc Dominico, contexta fuerit, cum Petrus opus suum Innocentio III. Romano Pontifici dicaverit. Consonat Gregorius IX. Pont. Max. in Bulla relationis Sancti Patris inter cœlites, edita Reate Anno Pontificatus VIII; non adhuc vicesimo labente á S. Patris morte, in qua sibi gratulatus, quod ei pridem fuerit familiaritate junctus, subdit, *omnis hæreticorum secta contremuit, omnis Ecclesia fidelium exultavit*, eo nimirum pro orthodoxa Religione pugnante. Eadem est mens Guilelmi de Podio-Laurentii Sæculi XIII. Scriptoris; etenim ex cap. 8. ut impiorum pervicacia coerceretur, Numinis Providentia, *duos de Hispania ad hoc opus produxit electos pugiles, Dominum Didacum Episcopum Oxomensem, & Religiosum virum, Sanctum postea declaratum Socium ejus Domini-*

Bull. Rom. edit. Lugd. t. 1. p. 103. Const. VIII. Greg. IX. incipit *Fons sapientiæ* Dat. A. 1235. circiter.

Guilelm. de Pod. Laur. Chronicon. perducit usque ad An. 1271. extat in colle. Duchesn. t. 5. p. 666.

CAP. V.

cum Canonicum suæ Ecclesiæ Regularem. Ad profligandos hæreticos tunc Ordinem Prædicatorum cœpisse scribit c. 10. *Ut cœpta prædicatio remaneret, de ordinandis perpetuis Prædicatoribus est provisum, inspirante Domino; & hac de causa, sub Beato Episcopo Domino Fulcone, Ordo Prædicatorum principaliter est exorsus, quorum vexillifer B. Dominicus prælationem suscepit pariter, & laborem.* Quod Guilelmus hic habet tum de Prædicatoribus, tum de eorum parente, legitur quoque initio libri inscripti, *Præclara Francorum facinora*, & apud Scriptores alios, quos adducit Binius in notis ad Concilium III. Lateranense. Hæc prælibantes, operam non perdidimus, quandoquidem viam sternunt ad illustrandam originem precationum, quas S. Pater, & ejus filii primum adhibuerunt.

Præclara Franc. facin. vocatur quoque *Chronicon Simonis Comitis Montis-fortis*. Extat apud Duchesne t. 5 p. 764.

II. Quod Albigenses spectat, non una est eruditorum hominum de eorum nomine sententia. Verisimillima videtur quæ á loco, urbeve *Albia* ubi primum fortasse, vel altius radices egerat error,

illud

illud arcessit: Neque enim iis accedimus, qui á Concilio Lumbariensi ibidem coacto ita denominatos contendunt, contra morem, tum Ecclesiæ, tum hæreticorum, ac si heterodoxi Tridenti damnati, Tridentini à Synodo dicerentur. Permagni ad rem nostram refert observare vocatam Albigensem hæresim fœdam plurimorum errorum, ac tantum non omnium colluviem fuisse. Hinc operam ludunt novatores, qui id genus Sectarios á fœdis erroribus in quos lapsi sunt vindicare conantur. Sane Augiæ stabulum repurgant minime cogitantes quidquid unquam ceteri delirarunt, id fere omne ab Albigensibus assertum fuisse. Ut ecclesias suas Schismate, & hæresi laborantes á novitatis censura, quæ illos urit, vindicent, præivisse dictitant Waldenses, quos longe vetustiores fuisse atque revera fuerint, comminiscuntur. Horum se vestigia premere contendunt, horum auctoritate niti. Ut autem florentes quasdam, ac longe lateque fusas ecclesias Waldensium fuisse demon-

CAP. V. ſtrent, adjiciunt vocatos Albigenſes ab illis minime diſcrepaſſe, ſed ad eandem Religionem, & Eccleſiam ſpectaſſe. Itaque aſſerunt Albigenſes á Manichæiſmo, ne parentes á quibus orti ſunt ea infamia laborent, & ad caſtra Waldenſium, velint, nolint, transferunt; hi enim, ſaltem qui aliarum ſectarum dogmatibus infecti non erant, longe minus aliis á veritate aberrabant, immo in paucis ab Eccleſiæ Romanæ Religione diſſidebant, qua quidem in re heterodoxi recentiores non ſibi conſtant, ut hujuſmodi hominibus perſæpe uſuvenit, cum ipſi plurima rejecerint, eaque magni momenti, de quibus Vvaldenſes ne cogitaverant quidem. Non igitur iidem ſunt Novatores poſtremi, ac Vvaldenſes, neque Vvaldenſes iidem atque Albigenſes. Vvaldenſes á Romana Eccleſia in paucis diſcrepabant, Albigenſes purum putum Manichæiſmum ſectabantur; quid ſentiant, quidve credant recentiores heterodoxi, nos latet, vix ipſi norunt. Fuſe de his egit clariſſimus Jacobus Beni-

Benignus Bossuetus libro XI. *Variationum*, Perrinum, de la Roque, ceterosque castigans, & ostendens Vvaldenses, quod ad Eucharistiam, Sacramentariis non esse accensendos, aliaque plurima scitu digna. Certum tamen est sæpius Albigenses atque Vvaldenses invicem admixtos in iisdem urbibus, pagis, ac domibus mansisse, ut de uxore & sororibus Fuxensis Comitis testatur Petrus Cernensis, cap. 6. *Hic uxorem habebat manifestam hæreticam, de secta Vvaldensium, & duas sorores, quarum una sectas Vvaldensium, alia vero aliorum perfidorum hæreses profitebatur.* Hoc apprime notandum est, cum hinc facile Protestantium commentum oriatur, quasi re & dogmatibus convenirent illi, quibus unus locus erat communis, maxime si de puris Vvaldensibus, & de puris Albigensibus sermo sit. Hinc quoque patet S. Dominicum tum contra Albigenses, & quidem præcipue, tum contra illis admixtos in Gallia Vvaldenses pugnasse, ac maxime contra ea dogmata

in qui-

CAP. V. in quibus utrique idem contra Ecclesiam sentiebant. Hæc tamen magis illustranda sunt, & á Novatoribus vindicanda, ne fides historiæ nutet in re maximi momenti pro Rosari origine.

III. Fœdam sectarum multitudinem in Gallia sæculo XII. exeunte agnovit cap. 27. Concilium III. Lateranense Oecumenicum celebratum A. D. præter propter 1180. *Quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis, ita hæreticorum, quos alii Catharos, alii Patrinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas &c.* Quapropter Concilium IV. Lateranense Oecumenicum coactum A. D. 1215. ait cap. 3. *Condemnantes universos hæreticos, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de * vanitate conveniunt in idipsum &c.* Quod pariter confirmatur ex Constitutione Friderici II. Imperatoris contra eosdem, quam laudat Honorius III. R. P. A. D. 1220. Verum duæ præ ceteris sectæ gras-

Concil. Lab. t. X. p. 1507.

* al. Patarenos

Labb. t. XI. p. 117.

* al. varietate

Bull. Rom. Lugd. edit. A. 1692. t. I. p. 90.

grassabantur, Albigensis, maxime Tolosæ, & Vvaldensis. Albigensis è Manichæorum cineribus excitata; Vvaldensis recens orta.

CAP. V.

IV. Quod pertinet ad Manichæismum mala avi rursum in Ecclesia natum, Concilium Lumbariense Anno 1165. anathemate perculit impios Bonos-Homines nuncupatos, Giraldo Albiensi Episcopo sententiam ferente, coram Albiensi populo. Giraldus quid sentirent de Mosis lege & veteri testamento ex eis sciscitabatur, quod argumento est jam tum Manichæismi morbo laborasse. Qua vero ratione in florentissimis illis regionibus, immo in Italia, in Germania, in Hispania, & alibi, novorum Manichæorum lues grassaretur, dignum est quod sciatur. Manichæi in Armenia secundis rebus utebantur; ex Armenia in Bulgariam miserunt impietatis magistros sæculo IX., quo Bulgari Christianis sacris sunt initiati, ut habetur apud Petrum Siculum, qui ea tempestate in Armenia moratus, horum fuit testis. Cum autem Galli postea ob

Concil. Lab. t. 10. p. 1470. Binio inscribitur *Concilium Gallicanum adversus Albigenses*. Collocatur ab eodem post Roger. Hovedenum A. 1176. sed coactû fuit A. 1165. ex antiquiore Auctore M. S. Sirmondi

Biblioth. PP. Lugdun. to. 16. p. 753.

CAP. V. ob sacrum bellum per Bulgariam in Orientem contenderent, Bulgarorum, & Manichæorum contagione affecti, patriam reduces pessima lue infecerunt. Ita vir eruditus Petrus de Marca Histor. Bearn. l. 8. cap. 14. Inde vocati sunt *Bulgari*, quo clarius eorum origo pateret. Extiterunt tamen nonnulli Manichæa labe adspersi in Gallia, ineunte sæculo XI. qui damnati sunt a Concilio Aurelianensi. Quæri posset an in Galliam primum Manichæi transmisessint ex Oriente, sed ut rem in pauca contrahamus, consulatur Bossuetus, libro XI. Vvaldenses paulo ante D. Dominicum oborti sunt à Vvaldo Lugdunensi, nec tam immaniter ab Ecclesia dissidebant.

V. Utriusque sectæ meminit Petrus Vallium Cernaii cap. 2. agens de Gallorum erroribus. *Primo sciendum quod hæretici duos constituebant creatores, invisibilium scilicet, quem vocabant benignum Deum, & visibilium, quem malignum Deum nuncupabant. Novum testamentum benigno* Deo, *vetus vero ma-*

maligno attribuebant; & paulo post: *Erant præterea alii hæretici qui Vualdenses dicebantur à quodam Vualdio nomine, Lugdunensi. Hi quidem mali erant, sed comparatione aliorum hæreticorum longe minus perversi*: Cæsarius Heisterbacensis dist. 5. cap. 21. putat Albigenses, sive, ut tum vocabantur, Albienses, tum è Manichæorum commentis, tum ex opere Origenis Peri-Archon fabulas suas depromsisse. At Guilelmus de Podio-Laurentii variarum sectarum disertis verbis meminit, in procemio *Erantque quidam Ariani, quidam Manichæi, quidam etiam Vualdenses, sive Lugdunenses*.

VI. Satis constare videtur minime subleстæ fidei eos sugillandos esse qui Albigensium monstra execrantur, & ex quo fonte profluxerint eorum dogmata, velint, nolint Protestantes qui postremis hisce sæculis eorum vindicias conscripsere. Sufficit nobis Historiæ fidem non nutare, illi verò, quantum eis libet, laterem lavent. Notandum tamen, Albigenses ab antiquis

CAP. V. quis illis Manichæis diverſos fuiſſe, ex Petro Bayle in ſuo Dictionario V. *Manichæi* ubi teſtem adducit Jacobum Baſnagium in Hiſtoria ſectæ Calvinianæ, ſed adeo infeliciter ſuorum famæ conſulit, ut in Manicheiſmum turpiter impingat à quo Albigenſes alienos exiſtimat. Nota res eſt ex illis, quæ habet V. *Manichæi*, & V. *Pauliciani*, ubi ſublatis libris Canonicis, vix ac ne vix quidem putat quicquam ſupereſſe quo eorum ſtolida deliria convellantur. Quidquid pro impio, & inficeto ſyſtemate duplicis principii *coæterni*, *&* *independentis* circa mali originem objecerunt Orthodoxis maximi ponderis judicat, & ob id late diffuſam eorum ſectam primis Eccleſiæ ſæculis. Latius vero ex eo ſerpere potuiſſet error, ac in maximum Orthodoxos diſcrimen conjicere, ſi Auguſtinus, ut magno, ac perſpicaci ingenio erat, illum propugnare voluiſſet, & reſectis inſulſis quibuſdam commentis, ſyſtema, & hypotheſim ſibi magis conſtantem, effeciſſet. Bayle

le igitur, ut Albigenſes reatu libe- CAP. V.
ret, ſemetipſum damnat, tanti faciens nebulonum illorum impietatem, ineptias, quiſquilias; quapropter ob eam rem male audit apud ipſos quoque Proteſtantes, qui editis in eum libris Manichæos inſectati ſunt, maxime Godefridus Leibnitius in ſua Theodicea.

VII. Hiſce adnotatis quæ pauci, ut oportebat, ad vivum reſecant, inſpiciamus aliquantisper quid de Deipara, & Divinis Incarnati Verbi Myſteriis ad Roſarium ſpectantibus ſentiant novi Manichæi. *Dicebant etiam in ſecreto ſuo quod Chriſtus ille qui natus eſt in Bethleem terreſtri & viſibili, & in Hieruſalem Crucifixus, malus fuit*. Ita Petrus Cernenſis cap.2., nec mirum, carnem enim, & cuncta quæ in oculos incurrunt mala ſuapte natura, & à malo principio condita effutiebant; *Bonus enim Chriſtus, ſicut dicebant, nunquam comedit, vel bibit, nec veram carnem aſſumſit, nec unquam fuit in hoc mundo, niſi ſpirituali.*

CAP. IV. *liter in corpore Pauli*. Eadem fere habentur apud Ermengardum in libro adversus novos Manichæos visibilia diaboli opus adstruentes, ac mussitantes, *Christum non ex femina natum, nec habuisse veram carnem, nec vere mortuum, nec quidquam passum, sed simulasse passionem; Nec credunt eum manducasse, nec bibisse, & quasi phantasticum corpus habuisse, nec eum resurrexisse*. Hic omnia simul psalterii nostri Mysteria, quæ spectant ad Christi Domini Infantiam, Passionem, ac Gloriam, convelluntur, & ideo Ermengardum adduximus.

Ermengardus, sive Ermengaudus in Biblioth. PP. de la Bigne t. 4. par. 1. p. 1240. edit. Paris A. 1624.

VIII. Ut magis magisque pateat omnem religionem ab eis fuisse sublatam, audiamus impiorum arcana, seu potius somnia palam vulgata cap. 6., à Reinero eorum conscio, qui scripsit circa A. D. 1250. & omnium accuratissime sectas Manichæorum, & dogmata ob oculos posuit. *Orolibenses dicunt quod Trinitas non fuit ante Nativitatem Christi, sed tunc primo Deus Pater habuit Filium, quando Jesus (quem filium fabri,*

Reinerus annos 17. Manichæos sequutus postea Ordinis Prædicatorum nomen dedit. Echardus in 1. to. Biblioth. p. 154. Placentinum facit, è gente Saccona. Vide Biblioth. PP. Bignæi, to. 4. par. 2. p. 763. & Lug.

bri, ſcilicet Joſeph, carnalem, ſicut ego ſum carnalis filius patris mei) Verbum prædicationis B. Virginis Mariæ ſuſcepit. Dicunt enim quod prædicando traxit eum in ſectam ipſorum, & ſic factus eſt Filius Dei credendo, qui ante filius carnalis, & peccator. Sic Verbum caro factum eſt, quando cor carnale Domini Jeſu mutatum eſt per Verbum; ſcilicet Virgo genuit filium, Virgo manens poſt partum; alio modo non credunt Virginem genuiſſe Dei filium. Deum immortalem! Quot mendacia, & blaſphemiæ! An non expediens erat præclaro quodam ritu adinvento ea celebrare quæ à veteratoribus obſcurabantur?

IX. In Mariam præſertim bacchati ſunt impii cæco abrepti furore, ſecundum Lucam Tudenſem, contra Albigenſes l. 3. cap. 3. *Reginæ Cælorum inviolatæ Genitricis Dei Mariæ, contra morem Hiſpanicum Virginitas à perfidis publice blaſphematur.* Ut probra, quæ vel recogitare animus horret, in eam conjecta prætermittamus, quæque

duuenſ. t. 25. p. 262. Codex Gretſerianus juxta Echard. bene ſe habet, ſed ex Boſſueto l. XI. Variati. non debuit inſcribi contra Valdenſes. Gretſeri ævo omnes eccleſiæ occident. à Romana diviſæ, ante Lutherum vocabantur Valdenſes.

Biblioth. PP. floruit Lucas A. 1237.

Hæreſis in Hiſpaniam, penetraverat In Italia altas egerat radices. è Manichæis ortus eſt S. Petrus M. O. P.

CAP. V.

Spicile. Dacherii, t. XI. p. 405. ed. 1. & tom. III. p. 1. n. edit. Paris. 1723.

refert Guilelmus de Nangis in Chron. ad An. 1209. abominatus *homines pestilentes*, *& fidei refugas Albigenses*; idem Lucas l. 2. c. 9. narrat, Manichæos in Gallia pinxisse Deiparam *monoculam*, *ac deformem*, quasi Christus *intentum se humiliaverit*, ut ejusmodi matrem selegerit. In Mariam quoque eodem tempore pugnavit impius ille Fuxensis Comes, vocatus à Petro Cernensi c. 6. *Christi hostis*; quandoquidem sacras ædes D. Antonini Martyris, & B. Virginis depopulatus, suis stipatus *ruptariis* An. 1209. impiis, æternisque flammis dignis vocibus, *ecce*, *inquit*, *destruximus S. Antoninum*, *& S. Mariam*; *nihil aliud nobis restat*, *nisi ut destruamus Deum*. cap. 45. & 46. Quod ut potuit scelestus ille præstitit in Sacra Redemptoris Nostri Crucifixi imagine. Mirari subit quosdam illius ævi sectarios Mariæ plusquam oportuit detulisse, & Angelum quendam credidisse, ut Reinerus audivit ex quodam sene, cui nomen Nazario, cap. 6. At veteratorum artes tandem deprehendun-

Ruptarii, prædones. *Rupta* eorum cohors V. Cangium V. *Ruptaii*.

duntur. Cuncta eodem recidunt; nam dum Mariam origine Cœlestem faciunt, ipsam Deiparæ Gloria spoliant, & Incarnationis Mysterium evertunt. Neque ullus putet Ecclesiæ preces juxta eosdem à B. Virgine auditas; etenim vel palam dictitabant ex Rainero c. 6. *Quod anima B. Virginis, & Apostolorum, & omnium Sanctorum non sint adhuc in gloria, nec erunt usque ad diem judicii, sed sint in quodam loco in aëre isto cum corpore Jesu Christi*, vel irridentes, & fucum plebeculæ facientes, *B. Virginem Mariam, & Sanctos in patria tantis impletos esse gaudiis, quod nihil possint cogitare de his, quæ in terris fiunt, & per consequens eos non esse invocandos à nobis, quia non possunt orare pro nobis*. Idem de Waldensibus scribit Petrus Pilichdorfius c. 19. eisque objicit gaudium Angelorum, resipiscentibus malis, quo profecto non afficerentur, si in ea quam statuunt rerum nostrarum ignoratione versarentur.

X. Quæ hactenus paulo fusius allata

CAP. V.

ta sunt, satis ostendunt Rosarii originem initio Sæculi XIII. adscriptam Dominico, Mysteriorum Christianæ Religionis, & Deiparæ cultus adversus Albigenses vindici, non tantum ab illius ævi moribus non abludere, verum maxime illis consonam esse, & omnino Ecclesiæ, ea præsertim tempestate, perutilem, quod quidem non parum causam nostram juvat. Quo vero pateat evidentius cuncta sibi constare, non abs re fuerit recentiorum Manichæorum cum veteribus, e quibus, summo orbis malo, orti sunt, consensionem demonstrare. Egit *de vana, & stolida* Manichæorum in Armenia degentium *hæresi* Petrus Siculus IX. Ecclesiæ sæculo. Hic Basilii Imperatoris Legatus pro permutandis hinc, & illinc captivis Tibricæ in Armenia totos novem menses moratus, tum cum de Bulgaria in suas partes trahenda cogitabant, scripsit de eorum moribus ac paradoxis ad Bulgarorum Antistitem, & graphice cum eorum secta Albigensem quoque delineare visus est.

Petrus Sicul. interprete Radero. In Bibliot. PP. Lugdunens. t. 16. p. 753. claruit A.D. 870.

Om-

Omnia Catholicorum dogmata per astum comprobant, pronunciantque, & ajunt se Sanctissimam Trinitatem Deum profiteri, cum impie prorsus, imperiteque omnia per allegorias apud se taciti interpretentur, quando Santiss. Trinitatem inficiantes, etiam detestantur Incarnationem Domini Nostri in Virgine, quamquam alio, & impio sensu fatentur. Ita prorsus ex Reinero cap. 6. sensere quidam Neo-Manichæi, de quibus egimus num. VIII. Primum e sex Armenorum paradoxis juxta Petrum est, impium illud eorum axioma, *Duo rerum esse principia, Deum malum, & Deum bonum*, quasi vero non idem prorsus sit, si claras rerum ideas consulamus, Deus, ac Bonitas ipsa. Secundum maxime ad rem nostram facit, *Quod deiparam, semperque Virginem, atque infinitis laudibus concelebrandam, per odium abjiciant, nulloque inter bonorum hominum cœtum numero, vel loco dignentur, neque Christum ex illa natum, ut qui corpus è cœlo secum detulerit, Josephumque ex*

CAP. V.

 illa,

CAP. V. *illa, post Domini partum, plures liberos suscepisse dicant*. De veteris Instrumenti libris, de Eucharistia, de Cruce, de ceteris, ex paradoxis, & Historia Petri quæ superest, intelligimus cum antiquis ita convenire recentioribus, ut non tam ovum ovo sit simile, quam illi inter se. Mores quoque iidem utrisque, nec veteres tantum, ut exploratum est, *instar polypi, aut chamæleontis pro tempore, usu, persona, in omnes se deformant figuras, ut incautioribus imponant*. Quod si de antiquoribus adhuc Manichæis agamus, Augustini ævo, idem judicium ferendum est, ut ex ejus operibus ostendi facile potest.

XI. Itaque nugæ non sunt quæ de Albigensium impietate, & opinionibus, seu potius opinionum portentis dicuntur, nec commenta vel piæ fraudes Prædicatorum, S. Dominicum Ordinis Fundatorem, Incarnationis mysteria, & Deiparæ injuriis lacessitæ decus propugnavisse. Hæc fortasse non injucunda erudito, ac pio lectori futura

tura ſunt, maximè quod vix quiſquam ea ut oportuit, acu tetigerit. Sed Sanctiſſimæ Dei Parenti laudes, non uno nomine debebantur. Decebat quidem Virginem de humano genere optime meritam tot nebulonum ſannis petitam concelebrare; verum potiori jure eam ubique laudibus proſequi par erat Catholicos, poſtquam ejus auſpiciis, cæſis ſæpius, fuſiſque impiorum copiis, inſignes victoriæ palmas reportarunt. Simonis Comitis Montis-Fortis ſtrenui Ducis Cruce-Signatorum triumphi nullis veterum concedunt. Religione certe aliis antecelluit, dignus propterea, quem Chriſtiani Principes imitentur. Prælio imminente ad Deum Victoriarum, in cujus manu ſunt omnium jura Regnorum confugiebat, ejus auxilium precibus impetraturus, ut habetur cap. 71. Petri Cernenſis. *Erat autem prope locum illum quædam Eccleſia, in qua ſecundum conſuetudinem intravit Comes cauſa orationis*: vim precum miracula è veſtigio teſtata ſunt, CAP. V.

Inundabat autem ipsa hora pluvia, & milites nostros non modicum infestabat; sed orante milite Jesu Christi, videlicet Comite nostro, cessavit pluvia, fiunt nubila in serenum. O immensa bonitas conditoris! Nec dubium quin Deiparæ opem vehementer postulaverit cum in ejus hostes classicum caneretur, quemadmodum non obscure innuitur ibidem, *Episcopi qui erant Saverduni, & Comes, & omnes sui convenerunt ad Ecclesiam, statimque unus ex ipsis sacris vestibus se induit, Missam celebraturus in honorem Beatæ Mariæ Virginis*. Vix victoria potitus Simon, in proximum templum, ceteris quibusque posthabitis, se recipiebat, nudis quandoque pedibus, ac pauperibus dono datis armis, & equo, Deo, cui omnia accepta referebat, gratias acturus, ut contigit An. D. 1213. post partam memorabilem sæculis omnibus Murelli victoriam. Tandem, ut quanti duceret Mariæ patrocinium intelligamus, An. 1217. sub mortem, lapidis *ictu lethali recepto, pectus suum*

suum bis percutiens, Deoque, & B. Virgini se commendans, mortem imitatus B. Stephani, & ipsius lapidatus in urbe, in Domino obdormivit. Petrus Cernensis cap. 86. Precibus Comitis suas adjungebat *Religiosus Dei amicus frater Dominicus*, apud scriptorem Chronici Simonis Comitis Montis-Fortis: magna enim ob eandem Religionis causam, consimilemque morum integritatem inter eos intercedebat necessitudo.

Cap. V. Tolosa, ubi Templum prim. B. Steph.

Præclara Franc. facinor. ab A. 1201. ad A. 1311. in 5. tom. Duchesn. p. 764

XII. Adfuit Deipara militibus suis suppetias ferens, nam An. 1208. ex eodem Chronico, *Carcassonenses civitatem obsidentibus resignarunt, quod & factum fuit in festo Assumptionis B. Mariæ semper Virginis in Augusto.* Et An. 1212. apud Cernensem cap. 63. *Castrum Moisiaci quod in vigilia Assumptionis B. Mariæ obsessum fuerat, in festo Nativitatis ejusdem Virginis captum fuit; agnoscitur ergo operata B. Virgo*: Quod probat idem Chronicon, à quo Moisiacum, *villa valdè fortis* dicitur, *hæreticisque favens*:

Ex Petro, & Guillelmo accidit potius Anu. 1209.

Tan-

CAP. V. Tandem illustris ea victoria, qua à paucis Catholicis fusus est innumerabilis exercitus hæreticorum cum eorum auxiliariis copiis, & Rex Aragonum occisus, parta est An. D. 1213. infra Octav. Nativitatis B. Virginis. Consulatur Cernensis qui pluribus de ea egit, cap. 71. B. Virginis auspiciis pugnatum est; ea duce hostis profligatus; hinc jure ei debebantur à Victoribus laudes, meritoque à Dominico fuerant vulgandæ.

XIII. Ægre ferebant Albigenses pietate maxima coli, laudari, invocari Mariam, in quam ira perciti fremebant. Contra, Maria ejusmodi cultu maximopere gaudebat, Angeli præsertim verbis sæpius commendari; quod, patratis prodigiis, extra omnem dubitationis aleam positum fuit. Cæsarius Heisterbacensis execratur facinus Albigensium, qui Sacerdoti sacrum de B. Virgine celebraturo, linguam è faucibus crudeliter avulserunt. Illam vero, aliquot elapsis diebus, Mariæ precibus à Deo iterum recepit, pristinæ

Dist. 7. c. 23. In Biblioth. Cisterciens. Berttandi Tissieri t. 2.

næ redditus incolumitati, ac tunc, *cum Angelo in vocem laudationis erumpens, clara voce clamavit Ave Maria, usque in finem, quam salutationem cum crebrius repeteret, stupentes accurrere ministri*. Idem narrat Stephanus de Borbone. Quid? quod Guido Carmelita Elnensis Episcopus in præstanti opere adversus Vvaldenses edito, unico elapso à S. Patris suprema die sæculo, eorum deliria recensens, ait, *vicesimo errant quod non reputant aliquid, immo contemnunt salutationem Angeli, scilicet, Ave Maria*. Supra adnotavimus Vvaldenses Albigensibus admixtos alicubi fuisse, ut in domo Fuxensis Comitis, & Sanctum Dominicum pro utrisque ad meliorem frugem revocandis laborasse. Quod vero Vvaldenses longe minus ab Ecclesia dissidentes docebant, id multo magis senserunt Manichæi illi, præsertim contra Deiparam, quam sexcentis injuriis lacessere consueverant. Angelicam salutationem igitur utrique aversabantur. Præclarum monumentum

Echard. Biblioth. to. 1. V. Stephan.

Ednensis, vel Elenensis, sive Helenen. in Comitatu Ruscionis. Guido Ann. 1330. è Sede Majoricen. transfertur ad Eccles. Elnensem in Catalaun. Vide Annal. Carmel. Lezan. A. 1330 n. 3. tom. 4. p. 547.

tum

CAP. V.

Bosquet. in Innoc. edit. Tolos. An. 1635. p. 51.

Summa tamen Guid. *contra Hæresis* erat impressa Parif. A. 1528. prælo Ascensiano.

Bossuet. l. xi. Variation.

tum debemus Francisco Bosqueto in epistolam 78. Innocentii III. l. 1. Regest. 13. cum ille operis fragmentum vulgaverit ex MS. Cod. Bibliothecæ Collegii Fuxensis Tolosæ. Confirmatur idem ex quodam Catalogo Errorum Vvaldensium Gretseri opera edito (habetur tom. 4. Bibliothecæ PP. Bignæi, par. 2. p. 831. num. 2.) *Hac etiam de causa magistri eorum non injungunt suis confitentibus Ave MARIA; nec etiam tam ipsi, quam credentes eorum dicunt Ave MARIA, nisi rarissime; & si magistri eorum parvulis primo confitentibus injungunt Ave MARIA, hoc faciunt quia neophytis eorum hoc nimium displicet, si quoquo modo ab Ave MARIA prohibentur; maxime cum nondum idonei sint ad capiendum, vel occultandum secreta.* Id quoque ex aliis in idem argumentum scriptis, ibidem pag. 836. editis, adstruitur. Verum quidem est Gretsero, celebri ceteroqui scriptori, ac pluribus eo sæculo, vocari Vvaldenses quaslibet sectas, quæ à Vvaldo ad Lutheranas turbas ab ecclesia Romana

mana schismate, & hæresi avulsæ erant, quod parvi refert; nam vel de Vvaldensibus, vel de Neo-Manichæis agunt auctores illi, quod nobis satis est. Hinc lux affulget Confessioni fidei Vvaldensium hæresim ejurantium, insertæ epistolis Innocentii III., maxime epist. 78. Regest. XIII. Etenim Durandus de Osca cum ceteris Catholicam Religionem amplectens, ait, *Consilia Evangelica, velut præcepta servare proposuimus; Orationi, juxta horas canonicas, septies insistentes, dicendo quindecies Pater noster, insuper Credo in Deum, & miserere mei Deus, & Orationes alias*. Inter *alias Orationes* non postremam fuisse Angelicam salutationem ex Elnensis Episcopi allato fragmento, conjicimus.

CAP. V.

Pag. 73. editi. Bosquet.

XIV. An expediens foret ea tempestate, ad impiæ hæreseos pervicaciam retundendam Angelicam Salutationem pie, ac persæpe repetere, quivis, pinguiori licet minerva, facile judicaverit. Supersedendum est argumentis aliis ne tempus teramus, ubi per se res ipsa loqui-

CAP. V. loquitur. Age vero; ea orandi forma adhibenda fuerit, illine jungendæ erant Dominicæ preces? Quidni? Principem hæ inter omnes locum obtinent; immo eis nefarii illi plurimum deferebant. Ne ergo pateret justæ accusationi locus, & ut laudes, & cultum Virginis pluris facerent, ac libentius tandem amplecterentur, ex utrisque novus quidam precandi ritus pius, expediens, facillimus conficiendus videbatur. Sciendum quippe Catharos (quo nomine Italiæ Manichæi ferè nuncupabantur) Raineri ævo in Eucharistiæ Sacris recitasse *Pater Noster*, ut tradit cap. 6. & adhibitam sæpe ab iisdem Dominicam Orationem cum manuum impositione: Sed nonnulli, Albanenses vocati, utique è Schola Manichæa, dictitabant, *quod manus ibi nihil operatur, cum ipsa à diabolo sit creata, secundum eos, ut infra dicetur, sed sola Dominica oratio, quam ipsi dicunt tunc*. En quanti illam æstimarent! Adjici potest Albigenses quosdam *Credentes* vocatos, ut à *Perfectis* distinguerentur, eo

eo turpius in flagitia quæque labi consuevisse, quod crederent, sine vera pœnitentia, & sine ablatorum restitutione se æternam felicitatem, sive *Consolationem*, ut ipsi dicebant (nam proprius erat veteratoribus loquendi modus, & impia quædam arcani disciplina) adipisci posse, dummodo in suprema vitæ periodo dicerent *Pater Noster*, & manuum impositionem a *Magistris* reciperent. Ita quippe eosdem sensisse docet Petrus Vallium Cernaii, cap. 2. Festivum est quod accidit in morte Credentis cujusdam, cui manus quidem imposita fuit à *Consolatore*, seu *Magistro*, sed *Pater Noster dicere non potuit*. Quærebatur quid de illo sentiendum foret: tandem post plurimas concertationes in hanc sententiam itum est, quod cum sola manuum impositione ille, bona avi, *salvus sit*, *omnes alios*, *nisi Pater Noster dixerint in fine*, *damnandos*.

XV. Perstringebant Catholicos nonnulli ob Dominicæ Orationis usum apud Ebrardum Bethunensem cap. 4. *Vos autem*

Ebrardus auctor antihæresis to. 4. Bibliot. PP. de la Bigne p. 1. pag. 1012.

CAP. V. *autem dicitis quod orare non debemus Pater Noster, quia sic mentimur Deum Patrem vocantes, cum alibi dicatur, vos ex patre diabolo estis*; & querebantur eandem ab ipsis truncari. Ceterum vulgata eorum sententia erat quæ habetur in Catalogo errorum Valdensium n. XI. *Item dicunt nihil orandum esse præter Pater Noster, ergo plurimi eorum ignorant Ave MARIA.* Ut ut sit, utrasque preces adhibere ordine quodam dispositas operæ pretium, ac tantum non necessarium tunc videbatur. Hinc S. Pater Dominicus, ut supra ex Raymundo adnotatum fuit, *Militiæ Jesu Christi* numerum quemdam utriusque Orationis præscripsit. Porro ad Religionis Mysteria animum advertere, cum semper inter orandum Christiani debeant, tum vero id ëa tempestate magis necessarium extitisse credendum est, maxime si sermo sit de Incarnati Verbi Mysteriis, quæ ab impiis tot insulsis dicteriis proscindebantur.

In eod. tomo Bibliot. PP. p. 2. pag. 831.

XVI. Superesset piarum sodalitatum insti-

institutio, ac quæri posset, num ii quoque coetus ab hereticis sugillarentur. Verum nullus dubitationi locus relinquitur, cum pias quascumque ejusmodi consuetudines ab Ecclesia sublatas vellent. Rainerus de illorum erroribus agens An. 1250. loquitur *de Confraternitate laicorum, & clericorum*, quam irridebant; *dicunt hæc omnia agi propter quæstum*. Quod si quis contendat Rainerum, & hereticos apud ipsum de nostra sodalitate paulo ante instituta loqui, non repugnamus. Fortasse Angelicam Salutationem damnantes, Rosarium ipsum carpebant.

XVII. Itaque cum unam Orationem Dominicam usurparent, ut ejus usu, ac vi scelera impune grassarentur, rejecta Angeli Oratione, oportebat Dominicum qui Catholicum agmen ducebat, ad Incarnationis Mysteria sarta tecta servanda, ad Mariæ Virginis cultum amplificandum, impiamque hæresim radicitus convellendam, preces ex Orationibus Dominicis, & Angelicis, Christianæque Religionis mysteriis In-

CAP. V.

carnationem spectantibus, conflatas, Mariæ auspiciis societate fundata, instituere. Quomodcumque se res habuerit, id fere ea ratione contigisse, non levis est conjectura. Sed quod verisimillimum ex Albigensium Historia videtur, accedente majorum traditione, & orbis consensu, certum omnino credendum est. Veteres Ordinis scriptores, ante duo sæcula, voluisse nobis imponere nullus dixerit, nisi rationum momenta cogant, quæ pro ipsis pugnare vidimus. Dominico igitur Rosarium adjudicandum est, de Catholica Religione, ac de florentissimo Galliarum Regno optime merito. Nam, ut Nestorio, & Iconomachis Deiparæ hostibus damnatis, Tantæ Virginis honor magis magisque floruit in Ecclesia, quinto, & posterioribus sæculis, ita Tertiodecimo, reportatis illustribus de Albigensium, aliorumque hæresi triumphis, à Dominico, Mariæ cultus amplificatus est, Rosario instituto.

C A-

CAPUT VI.

Vetustiorum de Rosarii Mariani Origine silentium sententiam nostram non convellit.

CAP. VI.

I. 

Lurima quæ contra nos adduci poterant, in antecessum soluta sunt, nec quidquam alicujus momenti objici potest præter silentium eorum, qui de Dominici actis, & iis, quæ sub initium Sæculi XIII. gesta sunt, scripserunt. Hæc quidem nonnullis negotium facessunt; quapropter hujusmodi argumentum ad examen est revocandum. Haud tamen scimus, an silere reapse sit, nomen rei, de qua agitur, non adhuc inditum, aut vix cusum, prætermittere, rem vero ipsam non obscure indicare. Ut ut sit, non propterea ha-

CAP. VI. sta abjicienda est cum hujusce silentii quod tanti faciunt, plures causæ afferri possint, quæ primum fuerant diligenter perpendendæ. Argumenti negantis vires neque nullæ prorsus dicendæ sunt, neque adeo, ut quibusdam usuvenit, extollendæ, & ubivis passim obtrudendæ. Facile quidem dictu est altum de ea re silentium esse apud unius, vel alterius Sæculi Scriptores, idque identidem repetere, at creditu difficile, nisi excussa primum fuerint quævis scripta, monumenta, codices, diplomata, tabularia. Fac autem ea, solo æquatis urbibus, bellis grassantibus, igni, vel alia quapiam ratione absumta fuisse; an ideo silentii dicam antiquis inscripseris? Quid si vel non expedire de aliquibus differere judicassent, vel oscitanter muneri suo defuissent? An non plura rescire á majoribus natu possumus, quæ litterarum monumentis consignata non sunt? Sane si, ut obviam irem adversariis, regererem non omnia quæ nunc contingunt scriptis vulgari, cum tamen eorum

rum nos teſtes ſimus, non video quomodo ſeſe extricare poſſent, niſi reponerent, res majoris momenti, ac celebres non obvolvi ſilentio: At contendere poſſem, ea quæ omnibus patent præteriri quandoque, quod notiora ſint quam ut indigeant Scriptoribus.

II. Hæc non eò ſpectant, ut negantis argumenti vires prorſus infringantur. Scimus adhiberi ſæpe magna cum laude, non tantum à criticis, verum ab illis ipſis, qui id genus argumenta flocci faciunt. Natura duce methodum illam plerumque inſiſtimus, mentemque noſtram ab aſſenſu cohibemus, quoad rei geſtæ idonei teſtes accedant. At pace acriorum quorundam cenſorum (Hypercritici vocari merito poſſunt) teſtis eſt etiam omni exceptione major, traditio & mores à Majoribus accepti, quando moribus & diſciplinæ Sæculorum congruant, ac tandem non admodum multis elapſis Sæculis, ſcriptis roborentur. Jam ſatis ſuperque conſtat nihil eſſe in noſtris precationibus quod abludat à moribus,

& disciplina nascentis Sæculi XIII., immo quod cum Historia illorum temporum non apprime consonet. Auctorem ritus Dominicum, vix paulo plus quam duobus fæculis ab ejus obitu elapsis, vocant plerique; *Rosarium*, & *Pater-Noster* diu ante non uno loco legimus, quæ ad Albigensium hæresim pertinent veritate nituntur; hinc traditionem hujusmodi, vulgatamque sententiam silentium objectum non convellit. Agmen ducit eorum, qui neganti argumento plurimum deferunt Johannes Launojus; attamen in calce Dissertationis ea de re editæ hæc habet, *Cum nullus omnino Scriptor æqualis, vel suppar, nullum prosus traditionis monumentum æquale, vel suppar, alicui facto, quod memoria dignum fuit, præstat testimonium, tunc ex eo generali silentio, quod ducentorum plus minus annorum æstimari potest, efficax depromitur argumentum*. Liceat, Launoii pace, statutum tempus, non quidem multo, sed aliquanto tamen longius protrahere, quoniam certi, constan-

ſtanteſque fines pro quibuſvis rebus,
neque ab ipſo, neque à quovis alio præfigi poſſunt, maxime cum ea, quæ, ævo de quo agimus, acciderunt, tam egregie cauſam noſtram juvent. Launojum exagitat, vulgata Exercitatione, Johannes Baptiſta Thiers; hunc conſulat, cui tantum otii supereſt; noſtrum non eſt hujuſmodi lites componere. Satis eſt ſtare à nobis Thierſium qui negantis argumenti vires fere proſtravit, ipſumque fortaſſe Launojum, dum non adeo religioſe ſilentio tempus præſtituit, & dum hanc de Roſario quæſtionem non attigit, quod facile præſtitiſſet vir hujuſmodi traditionibus iniquior, niſi vulgatæ ſententiæ æquitatem perſpectam habuiſſet. Hadrianus quoque Bailletus cenſor acerrimus, qui vulgatis quibuſdam ſententiis non ita facile ſubſcribit, teſtatur, in Actis SS. Menſ. Auguſt. die 15. agens de ſodalitatibus, Roſarii inſtitutionem adjudicandam Sancto Dominico, qui eam optima fide poſſidet.

III. Egit de argumento negante,

 Ma-

CAP. VI. Mabillonius in aureo opere de studiis Monasticis p. 2. cap. 13. *Valde* inquiens, *refert Criticæ operam dantes negativo argumento tempestive, & apposite uti; rectus namque istius usus aliquoties plurimum juvat, præsertim vero ad eludendum commenta ab impostoribus, ut nos decipiant, sæpenumero conficta*. Monet cavendum esse abusum, nec semper ejusmodi methodo fidendum. Duo negantium argumentorum genera plurimum diversa considerat. Quædam sunt *mere negativa*, quædam *negativa mixta*, nimirum cum *positivis*, ut voceant: *facilius autem est ex primo, quam ex secundo argumentandi genere in paralogismum incidere*. Exemplum *negativi mixti* affert, quod subjicimus. *Nullus Auctor ante Martinum Polonum meminisse legitur Johannæ Papissæ, omnesque Auctores synchroni, & qui ad ipsam sequuti sunt, usque ad dictum Martinum, immediate post Leonem IV. ponunt Benedictum III., neutiquam vero Johannam; ergo hæc præsumta Papissa merum est commentum à*

præ-

præfato Martino confictum. Diuturnum Scriptorum silentium, nisi aliud accederet, negantis dumtaxat argumenti vim haberet; sed successio, & Pontifices ordine enumerati, Leo IV. & Benedictus III. nonnihil *positivi*, & quidem maximi momenti addit. Hæc vir summus, in cujus sententiam pedibus ibimus, modo aliis illustretur exemplis. Martinus Polonus O. P. Chronicon ita exaravit, ut nullus locus Papissæ relinqueretur, ut videre est in plerisque Codicibus allatis ab Echardo tom. 1. Biblioth. O. P. pag. 361. ubi Martinum egregie vindicat, & interpolatum demonstrat.

IV. Missis pluribus quæ addi poterant, operæ pretium videtur nonnulla adjicere, ex quibus facile quis judicaverit mirum non esse, si ritus ceteroqui præstantissimus, a S. Dominico adinventus, pene obliteratus, ac tamdiu neglectus fuerit, nec nisi sero postliminio revocatus. De pestilentia loquor, quæ A. D. 1348. in Europa grassari cœpit, *maximamque morum*, ac

CAP. VI. *ac pietatis sacris Ordinibus universis attulit vastitatem* juxta Vincentium Fontanam O.P. In Constitut. Ordinis V. Reformatio; addit vero, *Maxima interea Religiosorum copia è vivis erepta est, atque cum ipsis sacrarum legum observantia per omnia fere dehiscens, ex incauta noviter receptorum multitudine, relaxationis, proprietatis, inobedientiæ, vanitatumque vitia in Ordinum fere omnium Cænobia irrepsere. Cum enim illa adeo deserta, ac desolata essent, ut pene Ordo unusquisque crederetur extinctus, qui superfuerant Religiosi, cujusque generis hominibus, pueris, adultis, ineruditis, atque ineptis ad habitum susceptis, dum pestilentiæ plagis mederi intendebant, insanabili plaga proprium Ordinem cruentabant*. Pestilentiæ jungenda sunt bella, de quibus, sub ipsam fere Rosarii instaurationem queruntur proceres Ordinis, eum ab interitu vindicaturi in Comitiis General. Romanis An. 1481. & 1484. *Item ob frequentes pestilentias, & ægritudines, propter bella, &*

alia

alia multa incommoda; cum numerus Fratrum plurimum deficere videatur, hortamur omnes Patres, & Fratres, ut juvenes bonæ indolis, honeste natos, & bono ingenio præditos ad Ordinem introducere laborent. CAP. VI.

V. Quid igitur mirum tum in hac tum in ceteris sacris Familiis plura interiisse? Mirum potius superfuisse aliquid post tot clades, quæ illas in summum discrimen adduxerunt. Cœnobia vel sublata, vel solo æquata sæculo XVI. & superioribus ab Hæreticis, Schismaticis, Turcis, non pauciora mille quingentis fuisse existimat P. Jacobus Lafon O.P. in monumentis ad Ordinem spectantibus apprime versatus, Præfatione Apologetica pro Rosario. Supererat celeberrimum Tolosanum Cœnobium, è quo fortassis non nihil erui potuisset; sed An. 1562. die 11. Maii, capta à Calvinianis Tolosa, direptum fuit, sublataque tunc plurima monumenta MS. conjicere licet, quæ modo desiderantur, ut ex Catalogis constat. De eadem urbis direptione agit quoque Per-

Ann. Dominicanus to. 1. Octobr. edit. Ambian. A. 1712.

CAP. VI. Percinus in monumentis Conventus Tolosani ad An. 1562. & testis oculatus Georgius Bosquetus, qui sequenti Anno 1563. Tolosæ opusculum typis mandavit.

VI. Præterea, constat veteres nostri Ordinis Auctores non admodum sedulos extitisse in vulgandis suorum gestis quamvis sempiterna memoria dignis. Scilicet bene agere potius, quam diligenter scribere probi viri studuerunt. Dominici acta primum conscripta nova semper accessione locupletari oportuit, quemadmodum animadvertit Theodericus de Appoldia, in Epistola ad Nicolaum Magistrum Ordinis præfixa vitæ sancti Patris. Ex B. Jordani secundi Magistri libello de Ordinis initiis, prima D. Dominici Historia contexta fuit; secundam, jubente Johanne, IV. Ordinis Magistro Frater Constantinus *edidit multa insignia superaddens*; Tertiam B. Humbertus V. Magister Ordinis, qui eam, *multis superadditis non modicum ampliavit*. Nihilominus, post tot curas, multa su-

Theod. Sax floruit Sæc. XIII. Echardus to. I. p. 453.

superérant non adhuc publici juris facta; hinc *Fr. Gerardus Prior Provincialis Theutoniæ; rediens de Generali Capitulo in Luca celebrato, detulitque ædam præclara gesta* S. *Dominici de Bononia, quæ ex ore Sororis Cæciliæ Romanæ, quam* B. *Dominicus ad Ordinem receperat, conscripta sunt*. Quæ apud me recogitans, excusaverim potius Sanctos illos ac præstantissimos viros in eo, in quo alii eos accusabunt. Studebant, posthabita populari aura, Christianæ modestiæ & animi demissioni, unum Jesum Christum Crucifixum præ oculis habentes. Quæ in ordinis gloriam, atque splendorem cedebant, sæpe numero, data opera, tegenda potius, quam palam enarranda curabant, miracula præsertim, aliaque id genus, quæ ad aucupandam gloriam, & ad quæstum adhiberi potuissent. Abhorrebant ab omni turpis lucri specie edocti vivere parvo, & unam Crucis gloriam, unum animarum quæstum, in votis habebant. Huc facit celebris locus B. Jordani S. Dominici discipuli, & suc-

CAP. VI.
B. Jord. de princ. Ord. ffr. Præd.

successoris, quem P. Lafon ibidem suppeditat. *Visum est plerisque non debere receptari miracula, ne sub velamento pietatis speciem quæstus incurrerent; sicque dum propriam opinionem inconsiderata Sanctitate celarent, communem Ecclesiæ neglexere profectum, & gloriam sepeliere Divinam. Constat autem in hac vita positum certis fulsisse virtutibus, coruscasse miraculis.* En cur tamdiu Prædicatorum Ordo sileat, ratus gloriam & quæstum dedecere viros natos ad Evangelicam Legem sectandam, ac propugnandam. Quod ergo probro illis vertitur, quasi torpentes otio diffluerent, hoc ipsi laudi sibi ducunt, ac gloriæ.

VII. Ad hæc, ineunte Sæculo XIII. multiplex B. Virginem salutandi ritus emersit, & quorundam in Deiparam pietas ita flagrabat, ut centenis, millenisque vicibus Angelicam Salutationem repeterent. S. Mariæ Oegniacensis, & Idæ supra meminimus: Frater vero Romæus O. P. qui Anno 1223. florebat, *Jesum, & Mariam Fratri-*

bus

bus inculcans obdormivit in Domino, chordulam cum nodulis, quibus mille Ave Maria numerare solebat in die, firmiter manu tenens, apud Stephanum de Borbone in opere de septem donis Spiritus Sancti. Laudat Stephanus quoque circa medium Sæculi ejusdem *alios Salutationem Angelicam millies, alios centies, alios quinquagies in die, alios sine numero frequenter, & quasi perpetuo eam dicentes, alios quotidie septem Pater-noster, & toties Ave-Maria, genuflexos, alios officium parvum B. Virginis quotidie recitantes*. Occurrit mentio quinquagenæ, occurrit Dominicarum, & Angelicarum precum simul, atque hæ sexcentis modis disponebantur, ut diversæ erant chordulæ, maxime quibus utebantur nonnulli pietate quadam excellentiori insignes, iis fere semper vacando. Accedit tot Sociates obortas esse, ut oportuerit Canone XLV. Concilii Montis-pessulani, A. D. 1215. modum illis statuere, ne novæ identidem instituerentur. Quapropter mirum non est si prætermiserint

hu-

CAP. VI.

Echard. Biblioth. O.P. t. 1. Stephanus *de Borbone & de Bella villa* qui obiit Anno cir. 1261. t. 1. p. 184. Romæus *de Levia* t. 1. p. 101.

CAP. VI. hujus ritus auctorem, originem, & societatem, non adhuc, ut rudiora sunt rerum omnium primordia, tot ubique constructis sacellis, & Ecclesiæ thesauris celebrem. Satis mihi dixisse visus est Petrus de Vineis, satis Alexander IV; satis quotquot de Albigensibus egerunt, ut Sanctus Dominicus potius quam quivis alius Rosarii Auctor censeatur. Præclare, ac more suo clarissimus noster Ign. Hyac. Gravesonius *Argumentum quo nituntur morosi quidam Critici mere negativum est, ac subbinde, juxta peritorum Criticorum regulam, nullius momenti, ac ponderis esse debet, contra positiva, disertaque aliorum Scriptorum testimonia, contra avitam, ac perpetuam traditionem, quæ à tempore S. Dominici ad nostra usque tempora in Ordine Fratrum Prædicatorum jugiter fuit conservata.*

Hist. Eccl. sæcul. XIII. & XIV. Colloq. VI. t. 5. par. 522.

VIII. Nemo, opinor, sanæ mentis, non videt, ita á nobis asseri vulgatam Ordinis traditionem, atque sententiam contra argumenti negantis vires, ut hic falsi criminatio nullum locum habeat.

beat. Orbi imponere nolumus, sed eam tuemur originem, quæ Sæculo XIII. ita congruit, ut tantum non ex illius Historicis monumentis ob oculos cuivis ponatur. Hac ratione, ut vitilitigatores quosdam, & Hypercriticos missos faciamus, confidimus fore ut hæc probent æquiores *Critici*, quorum judicium maximi ubique faciendum est, ac Traditionem hujusmodi non referant in album anilium fabularum, quas leves homines alias incaute obtruserunt. Cap. VI.

IX. Quæcunque hactenus dicta sunt probat calculo suo optimus, & eruditissimus Præsul, tot publici juris factis operibus celeberrimus, Illustrissimus Justus Fontaninus Archiepiscopus Ancyranus, Dissertatione *de Corona Ferrea Langobardorum* edita Romæ A. 1717. cap. 8. *Etenim*, ait vir doctissimus, *ne argumento mere negativo fallamur ipsi, aliosque fallamus, tria servanda sunt. 1. Omnes ad unum auctores, ex quorum silentio argumentum erui debet, à nobis fuisse perlectos.*

2. Nos certos esse, nullum omnino ex auctoribus, qui rem, de qua disputatur, pertractaverint, interiisse, aut nobis non visum, adhuc in veterum bibliothecarum forulis delitescere. 3. Ab his, qui supersint auctoribus, quique dedita opera non tralaticie, de re scripserint, negligentiæ, invidiæ, & studii partium suspicionem abesse, in iis, quæ evenerunt, referendis aut silentio prætereundis. Ad hujusmodi canones si quis exigat hoc nostrum Opusculum, fortasse fatebitur, me, quod maxime in votis habui, non peccasse in melioris critices regulas. Sed doctissimus Antistes jure quodam suo huic Dissertationi supremam manum imponit: hanc enim ipse primum libens ac volens, viro summo, quem semper maximopere colui, castigandam obtuleram; hanc, jubente Sanctissimo Patre Benedicto XIII. Pont. Max. postea secundis curis recognovit; atque haud scio an æquior illo censor obtingere mihi potuisset, sive ejus in me benevolentiam, considerem; sive perspectum omnibus, subactum,

ctum, acerrimumque judicium. Probavit ille hanc qualem qualem lucubrationem, quod maximo honori mihi duco; quid enim præstantius approbatione illius viri quem tantus Pontifex selegit, & quem non ita pridem amplissima dignitate jure & merito auxit? Equidem postrema hæc Capitis hujus verba non probabit lectissimus Præsul; sed, pace illius, adjiciendum à me fuit hoc grati animi monumentum, quod idcirco (fateor) huc, eodem inscio, rejeci.



CAP. VII.

CAPUT VII.

Nonnulla ad Rosarium pertinentia.

I. 
HActenus ad fontes, unde manavit ritus noster, digitum intendimus; superest ut originem quoque singulorum quę complectitur, attingamus; quod paucis absolvemus. Precatorii serti initium à *Sanctæ Crucis signaculo* rite Christiani ducimus. Majores nostri non unas preces, sed cuncta ab eo auspicabantur, rati, quęcunque aggrederentur, facienda esse in nomine Domini Jesu Christi, & ad Dei gloriam, Paulo Apostolo docente, ne operam abuterentur. Tertullianus, vix elapso Anno post Christum natum 200. libro *De Corona militis*, cap. 3. id

id memorię prodidit, *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum; ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia; quacumque nos conversatio exercet; frontem Crucis signaculo terimus*. Uxorem vero admonens, ne superstes viro infideli nubat; quærit ab ea, qui fieri posset ne sacra, & ritus nostri, quos inter hunc enumerat, vulgarentur ab illa, contra atque Arcani Disciplina postulabat; *latebisne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas?* Sequenti sæculo, hoc est, anno plus minus 347. Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus, Catechesi IV. eundem ritum commendans hæc habet, *Ne ergo Christi Crucem erubescamus, sed etiamsi alter abscondat, ut palam in fronte obsigna, ut dæmones regium signum intuentes, procul fugiant tremebundi. Fac vero hoc signum dum manducas, & bibis, sedes; recubas, exurgis, loqueris, ambulas, verbo dicam, in omni negotio*, quæ postrema verba Græce ex Operibus Cyrilli subjicio.

Ad Uxorem lib. 2. cap. 5.

Cyrill. Hierosoly. editus ab Antonio Augustino Touttejo Benedict. Parisiis An. 1720. p. 58.

CAP. VII.

Ποιεῖ δὲ τοῦτο τὸ σημεῖον ἐσθίων, καὶ πίνων, καθήμενος, κοιταζόμενος, ἐξανιστάμενος, λαλῶν, περιπατῶν, ἁπαξαπλῶς ἐν παντὶ πράγματι. Sub initium autem Sæculi V. Sanctus Johannes Chrysostomus Homilia 21. ad populum Antiochenum, aniles quasdam superstitiones damnans, hortatur quemlibet, ut domo egrediens, Cruce in fronte impressa, contra diaboli tela se instruat, τὸν σταυρὸν ἐπὶ τοῦ μετώπου διατύπωσον, *Crucem in fronte imprime*. Tanti ritum hunc ea tempestate Christiani æstimarunt, ut Sanctus Pater, atque Magister noster Augustinus scribere non dubitaverit, Tractatu 118. in Johannem, eo prætermisso, nihil in sacrificio, nihil in Sacramentis rite peragi. Merito plurimi fecerunt id quod à veteri Traditione profluxerat; teste eodem Tertulliano ibidem; nam ad asserendas non scriptas Traditiones ab eo fuerat allatus. *Hanc si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de Traditione manavit*. Magnus

Tom. 3. par. 2. pag. 801. nov. edit. Paris. Ann. 1680.

gnus Basilius quoque libro *De Spiritu Sancto* cap. 27. originem Crucis signi à Traditione repetit, *Si enim attentaverimus consuetudines ecclesiæ non per scripturas à Patribus traditas nihil æstimare ; quantum religio detrimenti sit latura, intente inspicientibus liquido constabit. Quæ enim (ut inde ordiamur) scriptura salutiferæ Crucis signaculo fideles docuit insigniri* ? Hoc & alia plurima apud Basilium, *tacita ac mystica Traditione à Patribus, ecclesiastico more, reverentiori diligentia sunt in mysteriis observata silentio, quam publicata scripto*. Postulat instituti nostri ratio, ut Rosarii partes, earumque originem in bono lumine collocemus ; idcirco de Crucis Signo disseruimus, à quo jure & auspicato preces nostras exordimur, verbis illis adhibitis, quibus in Baptismo Jesu Christo vivere cœpimus, *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti* : In Dei utique nomine, quandoquidem Divina virtute, Divinis auxiliis opem nobis ferentibus, ad agendum, & ad oran-

CAP. VII. Refertur dist. XI. c. V. Sed in nova Ordinatione Decreti Card. Turrecrem. edi. Rom. hoc An. 1725. legitur L. I. P. II. pag. 59.

CAP. VII. dum aggredimur; *Nam quid oremus sicut oportet nescimus*, immo, *non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*. In Dei nomine orare, & alia quævis agere oportet, hoc est, ad ejus Gloriam, cum sit Deus Optimus Maximus origo prima, & ultimus omnium finis. Hinc tamen quanta sit Traditionum vis, atque vetustas facile perspicitur in primo nostrarum precum limine, quod per transennam adnotamus. Consulendus pro Catholico Traditionum non scriptarum dogmate Sanctus Irenæus auditor Sancti Polycarpi Smyrnæorum Episcopi, & aliorum Apostolicorum virorum libro 3. cap. 1. 2. 3. 4. ubi disertis verbis eas adstruit. Sed ne actum agamus, e diverticulo in viam.

* Rom. c. 8. v. 26.

2. Corinth. c. 3. v. 5.

II. Absolutis singulis decadibus, verba illa usurpamus, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto* quæ δοξολογίαν, sive *Glorificationem* vocarunt veteres, eaque à Crucis Signaculo prope absunt. Deum ejusque Gloriam necesse est habeamus

beamus continenter præ oculis. Eo cuncta spectant, ipsæ quoque Deiparæ preces, ac laudes; hinc sæpius repetitur *Glorificatio*. Deo, Divinæve Trinitati Gloria, non autem nobis debetur. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit*, ut optime Cyprianus ad Quirinum contra Judæos, l. 3. c. 4. quem Sancti Martyris locum laudibus prosequitur magnus Gratiæ Doctor Augustinus Parens, atque Magister noster, *ad Bonifacium*, l. 4. c. 9. contra Pelagianos ad veterum Patrum scripta injuria provocantes. Tum Cyprianus, tum Augustinus ab Apostolo acceperant, quod inter orandum, maxime dum hujusmodi *Glorificatio* canitur, mente revolvere, & quidem summa animi nostri submissione oportet; *quid autem habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Nec Divinæ Gratiæ hostes queri poterant perimi arbitrii libertatem, ac fatum invehi; siquidem mox reponit ibidem Augustinus, *Nunquid iste Sanctus tam memorabilis Ecclesia-*

CAP. VII.

Tom. X. pag. 484. edit. nov. Parisien. Ann. 1690. n. 25, 26.

I. Corinth. c. 4. v. 7.

CAP. VII. *rum in verbo veritatis instructor, liberum arbitrium negat esse in hominibus, quia Deo totum tribuit quod recte vivimus? ..... Nunquid sub nomine Gratiæ fatum asserit, quamvis dicat in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit?* Priora Doxologiæ verba ab ultima antiquitate repetenda sunt. Magnus Basilius librum de illis edidit ad Amphilochium Iconii Episcopum, inscriptum *De Spiritu Sancto.* Nam cum apud populum orans Glorificationis verba interdum protulisset *cum Filio, & cum Spiritu Sancto*, interdum *per Filium in Spiritu Sancto*, ac turbæ obortæ fuissent; priorem formam, & Divinarum Personarum æqualitatem vindicat ab hæreticorum injuriis, & alteram Orthodoxe exponit. Præterea cap. 7. vetustatem Doxologiæ confirmat; *quin & illud mentiuntur, hanc vocem, cum quo, ab usu piorum alienam esse. Quotquot enim morum constantia, antiquitatis majestatem novis ornamentis prætulerunt, ac majorum Traditionem citra mutationem conservarunt, singulis*

tum

tum regionibus, tum civitatibus hac voce usi sunt . . . . . Itaque videas & hodie à rusticanis hanc vocem, more veterum, pronunciari . . . . . Proinde, sequitur, *quod à majoribus nostris dictum est, & nos dicimus Gloriam esse communem Patri cum Filio, quapropter & Glorificationis hymnos Patri simul cum Filio offerimus*: ὅπερ ἔλεγον τοίνυν οἱ πατέρες ἡμῶν, καὶ ὑμεῖς λέγομεν, ὅτι ἡ δόξα κοινὴ πατρὶ, καὶ υἱῷ, διὸ καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ τὴν δοξολογίαν προσάγομεν τῷ πατρί. At quænam vetustas, quænam vindiciæ iis comparandæ, quæ repetuntur ab Evangelicis verbis, quibus Christianis sacris initiamur; quod magnum hunc Græciæ Doctorem capite 10. minime fugit. Quod ad reliqua prioribus verbis adjecta, in confesso est, Anno Æræ Christianæ 529. ubique terrarum adhibita fuisse, ex Canone V. Concilii Vasensis II. *Et quia non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum astutiam, qui Dei*

Conc. Labbei, to. 4. p. 1679. Sirmondo secundum est.

CAP. VII. *Filium non semper cum Patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant in omnibus clausulis, post Gloria, sicut erat in principio, dicitur, etiam & nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.* Qui Doxologiç originem aliunde arcessunt egregie falluntur, ut animadvertit doctissimus Cardinalis Johannes Bona, cap. 16. *De Divina Psalmodia*.

III. Priusquam de Antiphona *Salve regina* loquor, quæ alicubi semel, alicubi tum initio nostrarum precum, tum illis persolutis, usurpatur, in memoriam revocanda sunt, quæ pro Deiparæ cultu attulimus capite 2. quibus adjicimus omni majus exceptione testimonium petitum ab omnium ferç Liturgiarum, ea in re, consensione; illarum quoque, quibus ante tredecim sæcula usi sunt Nestoriani Mariæ iniquiores. Quapropter pius ac doctus Cardinalis Bona sapienter animadvertit, *De Divina Psalmodia* c. 12. §. 1. vetustissimum Christianorum ritum, sanctissimam Dei Parentem colendi, &

in-

invocandi, præivisse quibusvis Conciliorum, Ecclesiæque Canonibus, & idcirco, ex constanti regula primi subsellii Theologorum, ab Apostolica Traditione manasse. Quis primo piam hanc, atque celebrem Antiphonam *Salve regina* auctor confecerit adhuc sub judice lis est. Idem Bona agens *De Divina Psalmodia*, eam adjudicat Hermanno Contracto Sancti Benedicti monacho, Anno 1059. demtis extremis verbis, *o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria*, quæ à Sancto Bernardo Claravallensi Abbate addita existimat, sæculo post Christum natum XII. Hermannus cognomento Contractus, à mala corporis habitudine, tardiori puer ingenio, Beatæ Virginis ope, ad scientiam adipiscendam aptus evasit, idque tradit eruditissimus Mabillonius Anno 1020. nu. 90. Annalium Benedictinorum, sed hujusmodi Antiphonæ originem illi non tribuit. Quid igitur sentiendum? Sanctum ne Claravallensem Abbatem hoc honore auctum dicemus? Johannes cognomento Eremi-

to. 4. p. 273.

CAP. VII. ta, qui ad finem vergente sæculo Ecclesiæ XII. scripsit Bernardi vitam; refert lib. 2. nu. 7. nocte quadam Deiparam visam à sancto viro, qui *ad altare pervenit, ubi voce Angelica audivit decantari Antiphonam salve regina ex integr° usque ad finem; quam cordetenus retinens, & postea scripsisse, atque Domino Papæ Eugenio transmisisse refertur, ut ex præcepto auctoritatis Apostolicæ per Ecclesias solemnis haberetur, in honore beatæ, & gloriosæ Virginis Dei Genitricis Mariæ, quod & factum est, ut adhuc plerique testantur.* Si Johanni fides, de Hermanno, actum est: Bernardo accepta referenda erit tota quanta est, non unum dumtaxat, vel alterum verbum. Contra, si *Meditatio in Antiphonam Salve regina* (quæ sub adscito Bernardi nomine extat in 2. volumine ejus Operum editionis Mabillonianæ) fœtus esset, ut nonnullis placuit, Anselmi Lucensis Episcopi, qui ante natum Bernardum floruit, ne minima quidem particula ad Abbatem Claravallensem per-

Vol. 2. p. 1287. Op. S. Ber. edit. Mab. Paris. A. 1690.

pertinebit, quod ea Meditatio omnia complectatur, una demta vocula *Mater*, in hunc modum, *Salve regina misericordiæ*. Silentio prætereunda non est eorum sententia, qui à Petro Compostellano Archiepiscopo, labente sæculo Ecclesiæ X. hanc originem arcessunt, ut videre est apud laudatum sæpius Mabillonium, Anno 986. n. 89. in Annal. Benedict. *Petrus*, inquit, *Episcopus Compostellanus*, *cognomento de Mosonca*, *qui ante Episcopatum Monasterii Sancti Petri Ante-Altaria in eadem urbe Abbas extiterat*; *Hic piam Antiphonam de Beata Virgine*, *nempe salve regina*, *composuisse dicitur*: Idem antea scripserat Guilelmus Durandus in *Rationali*, lib.4. cap.22. Ut ut hæc se habeant, illud extra omnem dubitationis aleam positum est, quatuor in hanc Antiphonam sermones sancti Bernardi Abbatis nomen præferentes, genuinum ejus fœtum non esse, tum ob maximam *stili*, & *genii* diversitatem, tum ob frequentia poëtarum carmina, ut observavit clarif-

Cap. VII.

tom.4.p.38.

CAP. VII. rissimus editor. Tribuuntur à nonnullis Bernardo Archiepiscopo Toletano. Qui primi sæculi Ordinis Prædicatorum historiam contexuerunt, norunt quanti piam hanc precationem Majores nostri ducerent. Jure Rosario additur; jure in ea cum Patribus, ut innuimus cap. 2. tum *Regina*, tum *Advocata nostra* nuncupatur Deipara. Mariam *Reginam* nostram oramus, ut & ipsa, tanquam *Advocata* oret pro nobis, *in hac lacrymarum valle* gementibus, Deum Optimum Maximum, nostrum, Mariæ, & omnium Dominum ac conditorem, quo *post hoc exilium* frui in votis habemus.

IV. Longe plura de *Angelica salutatione* dicenda forent, si quicquid Patres, maxime Lucæ Evangelium interpretati, scripserunt, huc adducere esset operæ pretium. Notiora hæc sunt, quam ut indigeant explicatione. Ad hæc, norunt vel pueri illius Auctores, Gabrielem, Elisabetham, Ecclesiam. Quod si ex me quis sciscitetur epocham piæ precationis illius *Sancta*

Ma-

Maria Mater Dei ora pro nobis peccatoribus &c. respondebo, apud Bonam, eam Angeli salutationi, sæculo V. damnato ab Orthodoxis Nestorio; apud alios vero, multo serius, auctarii loco accessisse. Componi hæc facile possunt, si dixerimus, verba quidem, quæ minoris momenti sunt recentiora esse, rem ipsam, quod caput est, antiquiorem. An non Johannes Damascenus, & Andreas Cretensis, ut capite II. animadvertimus, consimili modo precabantur, dum Mariæ laudibus, & Angeli verbis ea adjiciebant, *Ceterum, optima Domina, misericordiam extendas tuam in eos qui te noverunt, ac respice in servos tuos &c. Ave Gratia plena, Dominus tecum, ex qua salus Christus Deus noster assumtam naturam hominum ad se revocavit: obsecra ut salutem consequamur animarum nostrarum?* Ita Patres sæculo VIII. orabant: sed eas preces non tunc primum invehebant ipsi in Ecclesiam: Nullus dubito quin Patrum Ephesinorum ævo, im-

CAP. VII.

CAP. VII. mo diu antea, locum habuerint. Consuli poterit pro Angelicæ salutationis explanatione eximius Mariæ cultor sanctus Bernardus Claravallensis, maxime in Homilia III. ex quatuor vulgo *super missus est*, quæ ex ipsiusmet Auctoris mente inscribendæ sunt *De Laudibus Virginis Matris*. Quod ab hæreticis dictum est contra tot Angelicas salutationes Rosarii, quasi sæpius ad Mariam, quam ad nostrum, & Mariæ conditorem confugeremus orantes, a partium studio oritur, & ab inscitia: Mariam colimus, ut Dei templum, ac Matrem, Angeli verbis, *Dominus tecum*. Mariam oramus, ut *oret pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ*, ut oret, inquam, Deum bonorum omnium Auctorem.

V. Superest precationum quarumlibet præstantissima, nempe, *Oratio Dominica*, cujus nemo Auctorem ignorat. Illum Evangelium, illum operis, & Orationis suæ excellentia demonstrat; ut enim scite Tertullianus de ea loquitur, cap. 9. de Oratione, *Deus solus doce-*

docere potuit , ut se velles orari . Hinc Sanctus Cyprianus, libro de eadem exarato , ait ; *quæ vera magis apud Patrem precatio , quam quæ a Filio , qui est veritas , ex ejus ore , prolata est ? ut aliter orare quam docuit , non ignorantia sola sit , sed & culpa* : quæ quidem Sancti Martyris verba , non eo spectant , ut preces aliis verbis fusæ , sed ut illæ quæ alio spiritu conditæ sunt, ablegentur . Suspicari quis possit locum hunc transversos egisse Albigenses , atque Vvaldenses , qui (quamvis cetera diversi) in una *Oratione Dominica* adhibenda conspirabant , valere jussis aliis quibuslibet ; Sed ne ita sentiamus facit odium plusquam Vatinianum, quo Ecclesiæ Patres illi prosequebantur . Sed , missis horum commentis , Cypriano auctore , *Oremus , fratres dilectissimi , sicut magister Deus docuit . Nam cum dicat , quia quodcumque petierimus a Patre in nomine ejus dabit nobis , quanto efficacius * impetramus quod petimus in Christi nomine , si petamus ipsius oratione ?* CAP. VII.

* al. impetrabimus .

Cum

CAP. VII. Cum vero Tertullianus cap. 1. de Orat. eam vocet *breviarum totius Evangelii*, & Cypriano teste, *Orationis Dominicæ sacramenta multa, & magna* sint, in eaque *nihil omnino prætermissum sit*, oportet hæc conquirere in monumentis veterum scriptorum, recentiorum quoque, sed eorum, qui Evangelii, traditionis, Ecclesiæ, & Jesu Christi spiritum exhibent nobis, & sensa aperiunt, in rebus tanti momenti. Ut vero utamur verbis sancti Hilarii Pictaviensis episcopi c. 5. in Matth. Tertullianus (quamvis alia quædam ejus opera erroribus infecta sint) & Cyprianus suppetias nobis ferent; *de orationis autem sacramento necessitate nos commentandi Cyprianus vir sanctæ memoriæ liberavit; quamquam & Tertullianus hinc volumen aptissimum scripserit*. Sane uterque aureus libellus diu, noctuque terendus esset, cum in illis præclare jacta sint solidissima fundamenta orationis, hoc est, æternæ salutis. Sexcentis in locis sanctus Augustinus Cypriani librum commendavit,

ma-

maxime de Gratia & libero arbitrio cap. 13. *commoneo autem caritatem vestram, & multum exhortor, ut beati Cypriani librum, quem scripsit de Oratione Dominica, diligenter legatis; & quantum vos Dominus adjuverit, intelligatis, memoriæque mandetis. Ibi videbitis quemadmodum sic alloquatur liberum arbitrium eorum, quos conscriptione sui sermonis ædificat, ut ostendat tamen ea quæ implenda jubentur in lege, in oratione esse poscenda.* Ipsemet Augustinus optime egit de eadem in epistola ad Probam *de orando Deo*, nec non Augustini vestigiis insistens sanctus Thomas Aquinas Doctor noster Angelicus 2. 2. articulo 9. excellentis illius quæstionis 83. *De Oratione*, quam nullus, nisi scientia, ac pietate maxima præditus, conscribere potuit.

CAP. VII.

t. X. Oper. S. Aug. edit. Anno 1690. p. 731. n. 26.

VI. Ex ea sancti Thomæ quæstione peti possunt quæcumque ad orationes quaslibet pertinent; paucis enim, ut solet, plura complectitur. Videndus quoque laudatus sæpius Cardinalis

CAP. VII.

to. 1. p. 135. edit. Paris. An. 1677.

lis Bona, tum libro *de Divina psalmodia* cap. 19. agens de oratione, attentione, devotione, ceterisque huc spectantibus, tum libro *de Horologio Ascetico*, cap. 5., ubi brevem quandam methodum exhibet persolvendi *Rosarium* nostrum; *Coronam B. Virginis* ex septem orationibus Dominicis, & sexaginta tribus salutationibus Angelicis; tot enim annos vixisse Deiparam plurimi sentiunt; & *Coronam Domini* ex quinque Angelicis Salutationibus, & triginta tribus Orationibus Dominicis, ob consimilem annorum Servatoris nostri numerum; cujus Auctor fuit B. Michael Camaldulensis. Hinc, ex veterum Patrum libris, maxime Cypriani & Tertulliani, & ex egregiis quibusdam recentiorum scriptorum tractatibus de Oratione, præsertim Dominica, eruenda sunt quæcunque pertinent ad usum harum precationum, & ad Meditationem Mysteriorum Vitæ Jesu Christi, ad quam vitam moresque nostros componere, solida est, & omnium præstantissima

vir

virtus, quam maxime a cultoribus suis Deipara postulat. Addunt nonnulli Rosario preces alias; colunt, & invocant Dominicum jure & merito, quod præclari ritus Auctor extiterit. Tandem post tot Obsecrationes, Orationes, Postulationes, & Gratiarum Actiones, de quibus optime egit sanctus Thomas eadem quæstione 83. artic. 17. Apostoli vestigiis insistens 1. ad Timotheum, c. 2. *Benedictione Divina*, ex veteri, constantique sacrorum ritu, Rosarium absolvitur.

VII. De ejus commendatione plura dicere supersedeo, quod nulla de præstantissimo ritu apud Catholicos quæstio orta fuerit. Nam quod objici posset, facillimas, vulgares, & quibusvis pueris, mulierculis, rusticis notas complecti preces, id vero est quod ejus excellentiam cum maxima utilitate conjunctam demonstrat; & ideo a sancto Pio V. Pontifice Maximo Ordinis nostri, commendatur, in constitutione *consueverunt Romani Pontifices*, §. 1. *ob modum facilem, &*

omnibus

CAP. VII *omnibus pervium, ac admodum pium orandi, & precandi Deum*. Quæ in medium allata sunt in hac *Dissertatione* id satis ostendunt: quapropter pii quique ac præstantes viri qui post Rosarii originem in ecclesia floruerunt, permagni illud semper fecere; maxime veteris Disciplinæ & Ethices instaurator *Sanctus Carolus Borromæus*, & Deiparæ, nostrique Ordinis amantissimus *Sanctus Philippus Nerius*, cui tantum debet Roma & ecclesia ob Disciplinam, & mores prioris ævi, postliminio revocatos, & ob incolumem servatum, in maximo vitæ discrimine, cultorem suum, & morum eorundem Restitutorem Sanctiss. Patrem BENECICTUM XIII.

Acta Eccles. Mediolan. edit. Lugdun. An. 1683. p. 258. & S. Car. *Jussani*, l. 8. cap. 2. Vita S. Phil. Nerii.

LAUS DEO.



